



~~2-33-7589~~

~~20.a. 2. 7.~~

Biblioteca Universitar	
GRANADA	
Sala	Caja 2
Estante	
Tabla	
Número	3

Caja
C-6

R. 36953



~~2
7347
33~~

~~caja
(Cornwall - 1)~~

003

Del Colegio de la Compania de I. de Granada 19-

11846215

Handwritten initials

Augustinus

INDEX. I. II. ET III. LIBRI DE PRINCIPALIBUS CIVITATIBUS TOTIVS ORBIS

A	
Accusianorum Colonia.	300
Adena. is. Aden.	114
Aenania. is. cisia sive spite cusa.	338
Aetnaeide Caetera.	386
Agrianus Lacus.	390
Albosta dium	361
Albuena fons.	330
Africa s.v. Apud disium	262
Agrianus Lacus	390
Alexandria.	260
Algeria	266
Albuana fons.	330
Alconia.	313
Albama.	151
Amstel redanum	51
Anna sianum opp.	373
Antrum csaoneum.	390
Antrum syvilla Cumana.	390
Anxur s.v. terractna.	334
Ancona	100
Anverpia	45
Anfa	121
Andera s.v. s. for. tander.	263
Antequera.	153
Asir s.v. Angis.	21
Argentoratim Consule Aevacum s.v. Arn Semium	314
Argentina	74
Armenia	73
Aquisgranum	35
Atrebatum	324
Aveniz	332
Augusto durum.	202
Wernus Lacus	394
Avignon	171
Atricum	
Augusta	86
Arelia	185
Arx Sodie Larroca del mar yrrse num vide terra cina s.v. Anxur 334	

Alamurum	121
B	
Badenia.	219
Badacum vide. Saltz burgus 373	
Biana ficatua vide Tritu	
Li Balneum.	333
Barcino	113
Batae.	350
Basilea	227
Baianum castrum	333
Basiana L. Luculij villa	333
Balneum Trituli vide Trituli	
balneum in ind. & f.	0
Bavli Hercules templum vide in ind. Hercu. is. Bal. & f.	333
Bello montium.	332
Berga ad Tomam	309
Berstem.	13
Bituriges	165
Bilbao	161
Blam mont	179
Blois	173
Bonna	213
Boio do vide Patavia	371
Bomfari, vide Trisania	357
Bisfolia	286
Briehum	201
Brema.	57
Bri ver savias v. Broeruvias	3
Briula	213
Burgz	43
Bruxella.	39
Brunsvicum.	57
Buda.	90
Burdegala.	29
Burgi.	23
Bus Cumaducis	47
Bur burgum.	193

C	
Cabaliorum Collomia vid.	
grania nopolis	300
Calavis.	180
Calcaria.	117
Camman m., vide subolia 349	
Camerecae Centum	333
caetera vide molam	336
Campidomia.	15
Campena	347
Canefacum insula vide Suvo	
La.	349
Cano nor. 116	116
Canta brigia	147
Candia	254
Calecut	116
Cairrus.	117
Cardo montium.	332
Carnutum vide Cartres	293
Caronae sc Sobes	390
Cartres	393
Casteaudunum.	293
Circes mons	332
Cimacum	334
Cisterna ad 100 Camerehas 333	
Cisterna L. Luculij vide L. Luculij in ind. & f.	333
Civi s.v. clivia	215
Colmaria	219
Colonia Agripina	34
Colonia Accuccianorum vid. de Gratianopolis	300
Confluentia.	30
Comil.	157
Constantina	229
Constantinopolis	110
Corfu	254
Caeter vide Syn. Baian, in ind. & f.	333

Crucigladatorum quando ex orta societate & quando du raverit vide Rigam in ind. & f. 365	
Cypra vide tituli Balneus in ind. & f.	338
Cypra traeanaria vide des Cupriorem montis Micem in ind. & f. 333	338
Cumana Civis Annum 390	
Cupra vid. claretum. in ind. & f.	379
Campam foetis delitiae 333	
Cusco	123
Cestria	232
Casale	13
Casula.	61
Caravalla vide tibur	330

D	
Damas cus	253
Dantis cum vide gdanum 239	
Daventia	345
Del psyum	333
Div.	121
Dor dracum	195
Dor dracum	336
Drepanum.	104
Druides vide cbaures	293
Dessa.	64
Duacum.	320
Duin Rex ga sive Duin Rex ka	193
Duis burgum	215

E	
Eciza.	21
Edemburgum	290
EBous Tacum vide Salbestium	361

Egra	66
Embena	211
Embrica	219
Enckusa	340
Erdeordia seve erdeordi	60
Escuuega	357
Essendia	359

E

Samagusta	103
flaviobriga. vilvao	161
florentia	96
franco furtum sive franc	
fortum admoenum	78
franco furtum ad oderam	
fouum vulcani	392
franciscia	351
franco Burgum	359
ficarona Baiana. vide Bal	
neum Trituli in indice & f	383
fibergum Misena.	279
fiburgum	73
fisiinga	88
fris Lania.	357
fulda	60
fumarole Agnano.	390

G

Gades	15
gaita vide Mola.	336
gamanduum, vide Saltz	
burgum	373
Gandavum.	41
ganum sive gedanum.	239
Gauus	338
Gelasia	314
Genoa.	96
Genapium	219
Golfo de napoles. vide Synus	
baranum. in indice	
gouicum	53
Gorsitum.	237
Gotsa	60

Gouda.	342
Graciano polis.	300
Granta	19
Grave Linga	193
gradna	243
Grominga.	209
Grotta, tracsanaria, Consulez	
des cuptiones momtis miz	
sem in indice.	338
Grotta deli cam.	390
Grotta dela Sybila	390
Guminga sive grominga	53
Guleta Aars	264

H

Hamburga.	59
Haga Comit' vide delphius	
in indice & f	333
Hala sueviz	22
halber stadium	361
Hannonia.	322
Halemum.	199
Heidel berga	76
Herculea vede tibur	388
Herculis Pauli templus	388
Herbipolis.	82
Hycio solijma . 113.	256
Hispalis	19
Hutum sive Hum.	183
Hupra	191

I

Iena.	60
Iero solijma	112
in aume vide, iscla.	388
Infernium mare vide terre	
num in indi	
ingolstadtum	38
innarime insula	338
insula flanduz	38
in vtrum vide Sand's furtum	369
Iovis anticum templum	388
isclia vide iscla	338
Iulium opus vide Sinum Lu	
cinum in indice & f	388

Iuvavia vide Saltz burgum	373
iupiter Anxur videterracina	334

L

Lacus Agmian9	390
Lamdiestum.	3328
Landsfurtum	369
Lavreatum,	379
Leida	197
Leodrum	33
Leubardum	351
Lindia	70
Liburnum vide tirrenumna	
rein indice	388
Lipsia	64
Lile vide in sula	313
Londinum.	11
Los dunum vide dephjum	
in indice & f	333
Lovanium.	47
Lovanium	303
Loxa.	159
Lubeca	59
Luceina	72
Luce burgum	313
Lucing Syny	388
Lugdunum.	81
S. Lucullij vila Vaiana	333
Luneburgum	57
Lutetia Parisiorum	25
Limburgum.	181

M

maclima	305
macslima	47
magdeburgum	68
malca	15
malatestaum familia vi	
de pisauum in indice & f	3878
Mantua.	248
mart purgum	61
marie burgum	334

mare mouuum	388
masilea.	161
mediolanum.	92
messana	106
merbis	163
mexico	123
midel burgum	203
misena.	233
mira bilis picina vide. f. la	
Lucullus in indice	
misen, mons	388
modona.	252
moguncia	82
mola.	386
mombasa	114
monacum	88
monasterium	55
moscovia.	241
mons circeus.	382
mons pesulanus.	27
mons novus.	388
mons regius	365
montes	328
montes	37
Malta fol. 109.	

N

Namurcum.	185
Namurcum	343
navalia vide suvolia	349
Neapolis	102
Nebusa	292
Nemausus.	29
nemetocena vide namur	
Cum	342
Nordelinga	88
Novimberga sive Nurm	
berga	70
Nouvicus	284
Notium mare vide tir	
tyrenum in indice & f	388
Novesium	213
Noviomagus	205
Novidunum	302

novio magus 213
Novus mons 333

O

Oemphons 231
Orosius vide velitre 332
Olcemburgum 57
Olysiyo 13
Olivetum 379
Orivetum 379
Ormus 116
Osemburgum 55
Otinense adtraiectum ad mosam vide traiectum in indice & mola f° 336
Oxonium vulgo oxemford 149

P

Palmarola insula vide velitre & in indice f° 332
Panfomy 104
Pandataria vide Palmarola
in indice & f° 332
Parma 104
pariens 252
Paterno nopolis vide madurum 68
Patavia 371
Praga 66
Penon de veleb 262
Percia vide salsa burgum 373
Pisipopolis 374
Pictavia sive Pictavis 27
Picina mirabilis vide Lucus in indice
Picina mirabilis 333
Pisaurum 377
Pitsecusa vide iscla 333
Polisstephanum vide Tibur 330
Pontia vide velitre 332
Pontina vide velitre 332
Pratense Balneum 3333
Proscita insula 333
Puteolus & Baia 250

Q

Que de Limburga 361
Quiloa 114

R

Ranis pona 33
Rodus 103
Rya 365
Roma 93
Roma 245
Romanum oppidum sive Romans 300
Roseto ebium 62
Rotemburgum 30
Rotterdamum 342
Rotomagus 29
Rotomagus 296
Rubiacum sive Rufacum 219
Rubeclara vide castellum dunum
Ruemunda 314

S

Sala 119
Saltzburgum 373
Saltzburgum 70
S. Georgij oppidum 229
Sca psusa 73
Scobes Caron 390
S. Sebastiani oppidum 23
Sedunum 32
Sena 104
Septa 119
Septemillum 292
Sibemicum 282
Syllis cumanis Antium 390
Slusa 322
Solotorum 73
Sontina sive Bons. 213
Spira 76
spiraculum mortificum 390
Stander 163
Straubinga 33
Sudarium s. Germani 390
Sulfororia vide forum vulcam 392

Surtia 72
Susatum 357
Subola 349
Sylvania 72
Syny Baiang 333
Synus Lucinus vide Succinus
Syny & f° 333
Syny Puteo Lang 333

T

Templum Pauli Herculis vide Herculis Pauli temin
indice & f° 333
torrauna sive Anxur 334
tong 307
tseutomicorum ordo quando in Sibomiam venit & cu cigla diatonie ordinis absorbit vide Regam in indice f° 365
Thuromici ordinis & Rigen tium bella Consule Regabin indice & f° 365
treme Amian 390
tziguum 70
tziguum 367
tingis 119
tiboli videtur 330
toletum 17
tracanaia cupra vide mons
Tmicens & des cuprionegillis in indice & f° 333
traiectum ad mosam 133
traiecti nomina duo oppida sive traiectum 49
traiectum ad mosam 311
trescum mare vide terre annum in indice
treveis 30
tridentum 334
tripergulana Balnea 333
tituli Balneum 333
vide in indice tituli Balne
tugium 72
tunes 262
tunes alia 264

turo 27
ty buis videtur 330
ty Bur sive tributum 330
tinenum mare vide in indice f° 333
tBaffim 119

V

Valencene 330
valisolerum vide Pinea 17
Vegel 155
Veleb malaga 155
Veltre 332
venetia 94
Venonum 314
Verona 376
Vesontio sive Vedanum 177
via Appia vide terracina 34
Vienna 90
vilna 395
Vindesoum castrum 149
Vlma 70
Vrsela 72
Vrsina 72
Vvalouert sive Valencia 334
Vuarburgum 353
Vulvornatia 76
Vvei maria 60
Verdena 359
Vvesalia 55
Vvis maria 62
Vviseburgum 219
Vvitomborga 62
Vulcam forum vide forum Vulcam in indice & f° 392

X

Xere de la frontera 157

بسم الله الرحمن الرحيم
الحمد لله رب العالمين
والصلاة والسلام على
سيدنا محمد وآله الطيبين
الطاهرين



CONCORDIA

PAX

OPVLEN
TIA

SECVRI
TAS

IYSTITIA

VRBIVM
PRÆCIPVARVM
TOTIVS MVNDI

LIBER TERTIVS

COMMV
NITAS

OBEDIEN
TIA

IO. MATALII METELLI SE-

QVANI IVRISCONSULTI, ELEGEIA IN GEORGII

BRAVNI AGRIPPINENSIS THEA-

TRVM VRBIVM.

Ardua quam varie potuit fundare vetustas
Oppida, quotq; urbes condere, Magna viris;
Oppida tot valuit Brunus concludere libro,
Urbibus atque Arces iungere conspicuas.
Oppida, Mortales quæ non coluere priores;
Lympha quibus potus, glans cibus, antra domus.
Sed quæ Posteritas curuis deduxit aratris,
Dum trahit ad cætus aspera corda hominum,
Imposuit quæ iugo montis, quæ vallibus imis,
Quæ nemori, aut fluiuis, veliuoloque mari.
HÆC tibi quò pateant longe clarissima visu,
Luceat & toto corpore quidquid habent:
Ille situm, & forum, portasque, & mœnia, pontes,
Exhibet ac moles, marmora, tecta, vias
Flumina, tēpla Deum, fontes, fora, littora, portus,
Et loca, gymnasia & signa, theatra notat.
Narrat, quale solum quæ sint contermina rura
Quæ ferat urbs Bacchi munera, quæ Cereris.
Præclari quidnam, quas & Natura fodinas
Condat humo tepidis balnea nata locis.
Quam late imperitet quibus & caput exerat oris
Hanc fera Fortuna spicula quæue petant
Vnde genus ducat priscum, quo sidere præstet,
Hæc quibus ingenuis Artibus, illa, opibus
Ingenium ut faciat paupertas diuite terra
Mollicies habitet, flagitiumque gerat.
Quæ cuiq; hinc merces, quæ sint comœcia, quæue urbs
Pauperiem fugitat per mare, per quæ solum?
Doctrina illustres quinam, virtute perennes
Quos dedit, ac Diuos æthere, quosque Duces.

Describit mores, quæ leges, quique Senatus,
Explicat & Populi fœdera, vincula manu.
Artes quæ, Pacis, ferroque potentia quæ sit,
Auro, consilijs, sedulitate fide.
Publica priuatis ornat, priuataq; raris
Indagat; varia conditor Historie
Quis præsit Princeps, heres, victor, ne, gubernet
Almaque, quo vigeat numine Relligio.
Gesserit urbs ecquid magni quæ bella? quid inde,
Subdiderit duro libera colla iugo?
NAM diues, surgit, mutato cardine rerum
Corruit & fati est maxima caussa sui.
Sed mors est saxis, tacitisque, senescitur annis
Sic venit & claris urbibus atra dies.
Quis Romam in media iam quæreret, en age, Roma!
Hæc vetus, in nostra, tota sepulta iacet
Nec quidquam superest: quæ quas mirere ruinas,
Tempore quodq; mori, viuere Marte, queat.
Scilicet annosa ut Quercus, celsissima creuit,
Postq; cadit, victa hac tempore Roma, ruit.
Urbibus at certis, post funera, vita resurgit;
Sedibus aut migrant, omine forte suo
Pax, urbes firmat, Pacem concordia crescunt;
Iustitia, atque armis, Relligionis ope.
HOC duce non igitur populos sic noscere pergis?
Nec vises urbes, turribus aerias?
Nimirum, docuit; fuerant quæ muta per æuum;
Pictura, & verbis, Oppida posse loqui
Ut quibus haud liceat, pedibus sine fine per urbes
Currere, pro pedibus, sufficiant oculi.

R E V E R E N
 DISSIMO ET ILLVSTRIS
 SIMO PRINCIPI AC DO
 MINO, D. GEBHARDO, ELE
 CTO ET CONFIRMATO AR
 CHIEPISCOPO COLONIEN
 SI, SACRI ROMANI IMPE
 RII PER ITALIAM ARCHI
 CANCELLARIO, PRINCI
 PI ELECTORI, VVESTPHA
 LIAE ET ANGARIAE DV
 CI LEGATOQVE NATO,
 &c. DOMINO SVO
 CLEMENTISS.

G E O R G I V S
 BRAVN AGRIPPINAS,
 ET FRANCISCVS HO
 GENBERGIVS DEDICANT
 CONSECRANTQ.

GVVOLFGANGVS

HAMMERSTEIN GEOR-

GIO BRAVNIO

SVO.



*In tua messis adest. Vrbes atque Oppida scribens
Arua colis, laudum confita luminibus.
Non obscurus erit, qualem tibi nomina fingunt,
Inde color; laudis lumine clarus eris.
Scilicet hic fructus pulchro tibi nascitur agro.
Quisquis es, hinc fructus tu quoque carpe tuos.*

ANDREAS PAPIVS

IN GEORGH BRAVNI

SVI STVDIA.



*I quando mare veliuolum, terrasque iacentes,
Iupiter, & latos despiciens populos,
Consistit caeli medio; tractare putamus,
Secretum, regni consilia alta sui,
Soli nota sibi. Surgant ut regna, cadantque:*

*Stet prima his etas urbibus, his senium. —
At reliquis (quantum Regis sese abdita cuique
Mens aperit) nosse & voluere dulce Dijs
Quas iuste regit ille vices, seu (dedita culpis)
Gens hominum nescit prospera ferre diu:
Seu (pœnis attrita) sapit, caelumque fatigans
Exorat multa lenia cuncta prece.
Nec superos magis cara ipsos tenet vlla voluptas.
Tu tamen in partem nos quoque, Brune, vocas;
Insignes quascumque oculis dum subijcis vrbes,
Et populi mores, fataque, opesque canis.
Pro quibus officijs que nos, que premia Musæ?
An Musæ nil, quod dent tibi, maius habent?
At nobis, quos sic similes facis esse Deorum,
Ipse etiam certè denique numen eris.*

GEORGIUS BRAVN, AGRIPPI- NAS, BENEVOLIS LECTORIBVS

S. D.



DEREGRINATIONEM, Lectores beneuoli, quæ non lucri, cum negoti-
atoribus, sed artium ac virtutum causa, suscipitur, permagna, ad sapi-
entiam, ad rerum usum & experientiam, adiumenta præbere, nemo est,
qui vnquam negabit. Non etenim sine causa ingeniosus Vlysses, à Poe-
tarum omnium summo, ob singulare peregrinationis studium lauda-
tur, vt, qui multorum prouidus vrbes, & varios hominum mores inspe-
xerit. Quid Plato, quid Solon, quid Pythagoras, multiq̃ue Philosophi
alij peregrinando consequuti sint, eruditorum cœtui constat. De Dio-
doro etiam Siculo, historiarum monumenta confirmant, triginta ipsum annos, peregrina-
tionis studio, consecrasse, vt veram Orbis Terrarum descriptionem, historiamq̃ exhiberet.
Quam, vt omnium certissimam absolutissimamq̃ue, Geographorum clarissimus Ptolemæ-
us ille Aegyptius, Antonini Pij Imperatoris tempore, daret, non solis Mercatorum atq̃; Nau-
tarum informationibus fidem adhibuit, sed & remotissimas nationes ipse, vt labore & difficul-
tate maxima, ita curiosa diligentia, obiuit, ac perlustrauit, & Geographicæ picturæ beneficio,
cum sempiterno nominis sui elogio, à se perlustrata, & obseruata, ad posteritatem transmisit.
Cæterum, hi, & complures alij, celebritate nominis clarissimi viri, heroico, & mitiore vsi sunt
sæculo, quàm, in quod nos, temporum & hominum malignitate, incidimus. Periculosū quip-
pe, imo, vix Regum ac Principum legatis, iam tutum est, ob latronum, ac nefariorum homi-
num frequentiam, qui omnia passim itinera, ad cædem ac rapinas parati, occupant, diuersas
peragrarè regiones, varias perlustrare vrbes ac oppida, peregrinos populorum ac gentium ri-
tus ac consuetudines, oculari obseruatione, conspiciere. Et, si pestiferis etiam, sceleratissimo-
rum conatibus, & funestissimis sicariorum insidijs, optima, ingenuorum hominū studia non
impedirentur. Non sunt tamen omnibus eæ facultates ac opes, quas difficiles, & remotæ pere-
grinationes requirunt. Non omnibus id corporis robur, vt molestias & difficultates itinerum
queant perferre. Quod si verò maximè, opes, si vires etiam, valetudoq̃; suppetant; variæ sunt, ac
diuersæ diuersorum, conditiones. multi, functionibus publicis, multi priuatorum negotiorū
mole obruti, non possunt liberalem, & laudabilem inclinationem suam, eorum locorum in-
spectione, quæ historiarum, & famæ præconio, celebria sunt, satiare. His & similibus incom-
modis præsentis instituti nostro occurrendum, & multorum votis, quorum ego sermonibus
ac literis frequenter sum incitatus, consulendum esse putauit: Vt nimirum, nunquam satis lau-
dato, Cosmographico Abrahami Ortelij Theatro, quo iam pridè ipse tam Belgis suis, quàm
exteris etiam nationibus innotuit, Topographicas Urbium & oppidorum delineationes con-
iungerè, eò, quod argumentum hoc nostrum, cum Geographia tã arcta sit societate coniun-
ctum, vt noua quadã, & mutua eam luce perfundat. Quod enim Geographia de vniuersæ ter-
ræ situ, generatim, & summaria quasi narratione, recenset, haud secus, atq̃; præcellentes picto-
res, quos Inuentores inde vulgo nuncupamus, elegantem & venustam exhibitori picturã, po-
tiora prius lineamenta, & præcipua corporis membra, per dispositas, & vsitatas lineationes, ge-
nerali idea, deducunt, (Qua de re Albertus ille Durerus Noricus, opus perelegans cõscripsit.)
Id Topographus, separata certarū mundi partium, puta urbium, oppidorū, insularum, flumi-
num, lacuum, montium, fontium, &c. enarratione, historicè explicat, & spectantium oculis,
quasi oppidum, aut locum ipsum coram intuerètur, proponit. Quod quidem, cum tertio hoc
urbium Tomo, vt laboriosa, ita artificiosa Francisci Hogenbergij manu, historicis etiam no-
stris enarrationibus, optima fide, ex veterū, & recentiorum scriptis, ex communicatis doctissi-
morum virorū sermonibus & literis, ex obseruatione demum propria à nobis, pro virili, præ-
stetur, & urbium, oppidorumq̃; icones, ea forma exhibeantur, quæ vicis omnes, plateas, ædifi-
cia, areas, spectatori manifestè ob oculos ponat: diuinare equidem nequeo, quidnam Geogra-
phiam, historica enarratione illustratam, amantes, addam etiam curiosi, vltèrius, ad plenam
mundi cognitionem requirere possint, aut debeant. Maxime quidem, si notum iam diuersa-
rum nationum & linguarum hominibus, Ortelianū Orbis Theatrum, nostris urbium Tomis

(?) (?)

coniun-

P R A E F A T I O

coniungant. Id, quod clarissimus vir, omni scientiarum nitore perpolitus, Dominicus Lam-
psonius, singularis mihi amicus, venusto, elegantiq; carmine, & lepidissima Abrahami Ortte-
lij, cum Brunio concertatione, quæ Præfationem immediatè subsequitur, prudentissimè etiã
consultit. Atq; hinc cõmoda, vtilis simul, & iucundissima contemplatio, orietur. Quid etenim
dici poterit, aut fingi iucundius, quàm in loco aliquo tuto, & à periculorum metu alieno, apud
penates domesticos, vniuersam terræ, quã inhabitamus, formam, regionibus diuersis, flumi-
nibus, & aquis discretam, vrbium, & oppidorũ nitore ornatam, librorum istorum præsidio in-
tueri, illudq; inspectione picturæ, & adiunctarum enarrationũ lectione cognoscere, quod alij
longis & difficillimis itineribus vix vnquam consequi potuerunt? An ne ea ratione, maxima
videmur itinera, flumina superasse, ac maria, & alium quasi mundum ingressi, dum remotarũ
gentium, & populorum vrbes, diuersos viuendi ritus, diuersas habituũ formas, (de quibus va-
rij, & magnorum sumptuum nunc passim libri scribuntur,) quæ nostris sunt vrbibus, singula-
ri diligentia & studio adpicta, contuemur? Et maxime, cum citra metũ vllius, vitiosorum mo-
rum, contagij, hisce in libris peregrinari liceat. Fit namq; frequẽter, vt, qui longinqua itinera,
incertas, & periculosas nauigationes, mundi cognoscendi gratia, suscipiunt, earum gentium,
quibus cum longa consuetudine viuunt, corruptelis ac vitijs infecti, ad suos reuertãtur: sed ho-
rum librorum præsidio, totus conspicitur mundus, salutaria virtutum percipiuntur exempla,
viri, eruditione, & virtutibus illustres, cognoscuntur. Nihil de vitiorum contagio, quo certæ
nationes obnoxia, pertimescendum periculi. Erit igitur in hoc nostro Theatro, quo se histo-
riarum, & peregrinationum studiosi, citra discrimen, & periculum aliquod, oblectent, dũ va-
rias diuersarum vrbium formas, constitutiones, ac situs, dum quid in ijs maxime exercetur, stu-
diãne, & qualia ista potissimum, vigeant, An mercatura tractetur, cognoscent. Erit, quod Pi-
ctorib; sit recreationi, qui loca aprica, amœnos fructiferosq; colles, mirabiles fluminũ lapsus,
mirabiles vrbium, montiũ, insularum, lacuum situs, quos nõ semper ad viuum delineatos ha-
bent, excerpere, suisq; tabulis atque operibus ad ornatũ, maxima cum voluptate spectantium,
inferere poterunt; Quod à plerisq; etiam factitatum, frequenter obseruauit. Erit, quod Archi-
tectos reficiat, dũ magnifica diuersarum vrbium ædificia, mœnia, muros, & propugnacula, pro
diuersa temporum, & machinarũ, quibus impetuntur, ratione, contra insolentes hostium in-
iurias offensionesq; excitata, in Theatro hoc nostro conspiciant, quorum visendorũ gratia,
ad remotas regiones frequenter proficiscuntur. Erit etiam ijs, qui à grauioribus studijs liberi,
otio abundant, vel, qui ob læsam afflictamq; valetudinẽ, sedentariam coguntur vitã amplecti,
ampla suppeditata materia, qua honesta dignitate, otium & tœdiũ fallant. Deniq; & ij, qui ad
Remp. gubernandã vocantur, vt variarũ hęc vrbium icones videbunt, ita, diuersarum gentiũ
instituta; Resp. mores, & consuetudines cognoscent, & optima, ad Remp. suam formandam,
exempla inuenient. Neq; porro ijs tantum, qui exteras regiones, varias ob causas, inuisere, ac
perlustrare nequeunt, vtilis erunt, & iucundi nostri labores, verũ his etiã gratissimè accidẽt,
qui longinqua, studiorum, vel qualiscunq; rei, gratia, itinera, & profectioes, conãtur suscipere.
Illi namq; horum librorum inspectione exercitati, certa quadam ratione præperabuntur,
vt non ad incognita, sed quodam modo sibi perspecta loca deueniant; quod in ijs visendum,
quod fama, & cõmunis omnium opinio, tanquam celebrius deprædicat, multo deinde com-
modius, compendiosius, & accuratius indagare poterũt. Ita namq; anno elapso accidit, vt cla-
rissimus amplissimusq; vir, D. Franciscus Dumsdorffius, non maiorum tantum imaginibus,
sed scientiarũ etiam, virtutumq; splendoribus, verè nobilis, (cuius Bibliotheca, in remotissi-
mis mundi regionibus, incredibili diligentia ac sumptu comparata, optimi historicorum, &
eruditissimorũ hominum iuuantur conatus:) ad Vbiorũ Metropolin Agrippinã Coloniam
quam nun quã ante viderat, animi gratia, deueniens, ea, quæ exteris ad vrbis commendationẽ,
exhiberi, & visu iucunda esse solent, iam annotata, & quasi sibi perspecta habens, designare po-
tuerit, vt mihi non peregrinus, sed notus in patria hospes, videretur. Ea quippe, ex primo vrbium
nostrarum Theatro, in quo Coloniam Agrippinam, patriam nobis charissimam expref-
simus, obseruat. Ita, in Italiam, Dominam & Reginam Europæ, abituri, vt amplas in ea
Respub. Vniuersitates præcellentes, totius antiquitatis vestigia, infinitam, & inexplicabilem
ædificiorum, ac operum varietatem, cultissimos agros, Florentis Imperij sedem conspiciant,
& admirentur, De quibus antiquæ historiarũ memoriæ, varia & stupenda perhibent, Illi in-
quam,

A D L E C T O R E M.

quam, vt plurimum, eam Italiae partem; quaë Floro, req; ipsa testante, toto orbe terrarum pulcherrima est plaga, Campaniam, Plinio, meritò, foelicem, primùm adire, ac perlustrare solèt, vt amoenissimo in ea Liberi, Cererisq; delectetur certamine; iucundissimas Fontium Baianorum contemplantur delicias: montes, sulphureas ignitasq; exhalationes eructantes: vrbes, portus, paludes famosas, cryptas, ac specus ingentes, ac infinita demum alia natura, & artium, quaë luxus Romanus, hoc loci, peperit, opera. Hæc autem omnia, peculiaribus Theatri nostri tabulis, tam graphicè, præstantissimi viri Georgij Hofnaglij Anuerpiani, opera (quem raræ dotes naturæ, non artificis institutio præcellentem edidit pictorem) exhibentur, vt ea, qui studiosius inspexerit, quid in vniuersa Campania, maxima obseruatione dignum; quidnã ipsi in ea potissimum inquirendum; quaenam loca, aut euitanda, aut, ob præsentissimum, cautius perlustranda, periculum, iam ante, rudi cognitione, intelligat, quàm iter hoc ipsum ingressus fuerit.

Sed neque per se commendati operis, hinc laudationem suscipimus, quòd diuersarum linguarum editio, frequens distractio, & Eruditissimorum virorum commendant elogia, quorum aliquot saltè publica esse voluimus, alia verò, & venusta & prolixiora, ne in immensum Prolegomena excrescerent, in proximam oportunitatem referuantes.

Sunt porro, vt intelligo, nonnulli, qui hosce urbium Tomos, atq; institutum hoc nostrum, genusq; argumenti, ob studia, quibus me, vocationis gratia, consecratum sciunt, malignè rodunt, & superstitiosè reprehendunt. Verùm hi grauissimorum virorum, Hieronymi, Isidori, Bedæ, Orosij, Roderici Toletani, Roderici Santij, Aeneæ Syluij, Ioannis Gerundensis Episcopi, Alberti Crantij, Oforij, & cõplurium aliorum meminerint, Quos à nemine hactenus reprehensos existimo, quòd, licet ecclesiastici, historicum sibi argumentum scribendi delegerint. Varia etiam & diuersa diuersorum esse studia meminerint, natura ad picturarum & egyptorum amorem, & admirationem me rapi, non nesciant. Ferant illi amare me & sequi, quem mihi natura honestum indidit, sensum, cum & ille à sacris studijs, non modo alienus non sit, sed lucem etiam permagnam ijsdem adferat. In quibus varia quandoq; ædificia, templum, Regia Solomonis, Sion, Vrbs Hierosolymorum, Bethleem, D. Pauli patria, nõ obscura Cilicum Ciuitas, & similia multa, quaë instituti nostri sunt, describuntur.

Sed, vt ab his tandem, qui neque picturis, neque Geographicis delectantur iconibus, quibus etiam hi nostri non sunt nuncupati labores, ad beneuolos nos spectatores conuertamus; eos, vt peramanter rogemus, iam reliquum est, quò conatibus & studijs nostris bene faueant, ijsdemque fruantur: Ac demum precemur, foelices sint, ac valeant.

COLONIAE AGRIPPINAE
ANNO M. D. LXXXI.

IN GEORGII BRAVNII
THEATRVM, VRBIVM ORBIS
TERRARVM.

BRVNE, tuo qui das vrbes spectare Theatro
Pictura expressas, quot, puto, terragerit;
Aemulus Ortelij nostri, spectanda Theatro
Terrarum dederat, qui sola cuncta suo,
Litem agitatis, vter labor anteferendus, amici?
Lis minimè facilis, carus vterque mihi,
Sic ego. Sed causa se mox adcingit agenda,
Me, renuente licet, iudice, vterque sua.
Ac BRVNVS prior: Ipsa domos inuenit, & vrbes
Condere de patrio vertice nata Dea.
Expolijt que feros mores, & agrestia corda
Ciuilem ad vitæ molijt alma modum,
Munijt & muris, instruxit & artibus vrbes,
Quot quot vt hinc animum, corpus & inde beant.
Iura, magistratus que dedit, sanctum que Senatum,
Terrori que malis, prasidio que bonis,
Vt male pro meritis, illos sua pœna sequatur,
Hi probitate sua premia digna ferant.
Neu, quia terrarum sola sunt magis urbibus ampla,
Has ab eis vinci nobilitate putes.
Nonne ampli reliquis, Sol aureus, aurea Luna,
Astraque sunt cœli nobiliora locis?
Byssina nonne sua veste excellentior ora est?
Byssina veste licet, sit minor ora sua.
Quin cœlum soli, luna que vt debet, & astris,
Sic decus omne ora vestis & ipsa suum.
Sic adamas auro potior, quo clauditur, auri
Attamen est moles magna adamante magis.
Paruus & est cycni melior canor, ille gruuum quam
Dispersus nubes clamor in aethereas.
Quod sine sideribus cœlum, sine nauibus æquor,
Hoc sine terra suis urbibus esset iners.
Nulla hominum inter se commercia, vita ferarum,
Non hominum, nullo more, nec arte foret.
Quam memoranda oculis de se spectacula præbent
Vrbes, & muris oppida clausa suis?
Vrbes dant plateas recto procul agmine ductas.
Dant fora, dant varijs compita pulchra locis,
Templa peristylis decorata palatia, circos,
Dant Xystos: thermas, amphitheatra, tholos;
Culminibusque polum ferientia Mausolea,
Et præcincta suis atria porticibus,

Pyra-

Pyramidasque, arcusque & Niliacos obeliscos.
 Quasque procul fornix plurima ducit aquas.
 Dant portas, turresequē, & propugnacula, & arces.
 Dant portus, pontes, marmoreasque domos.
 Nec tua, Dinocrates, iuuat hic ars sola videntem.
 Hic & Apellea, Phidiacaque manus.
 Denique pingendis magis urbibus Optica gaudet,
 Ars delectandis Optica nata oculis.
 Maior & hinc pictas urbes spectare voluptas:
 Quam terra in tabulis, plana geographicis.
 Iure igitur nostrum, cum det potiora Theatrum,
 Sint minus ampla licet, laus mea maior erit.
 Et librum grauiore meum mercabitur aere
 Sollertes oculi cui potiora probant.
 At contra ORTELIVS. Pallas quas condidit urbes
 Urbanasque domos, ut libet, ipsa colat.
 Rura mihi, & gelidis placeant in vallibus amnes,
 Et nemora, ut quondam summe Poeta tibi:
 Urbium ubi strepitum, & populi tabularia, et auras,
 Insanumque forum, & ferrea iura fugis.
 Scilicet haud vllas Bruno, rus repperit artes.
 Quin & commodius quaslibet urbe colit.
 Noster hic, en, Iudex, libet hanc cui fingere litem:
 Quippe ea nos inter nulla nec est, nec erit:
 Legiacos inter strepitus, curasque nequibat,
 Nunc Stabuletano fingere rure potest.
 Ipsa adeo Pietas, Astraea, Aedosque, Fidesque
 Urbibus eiecta, vel modo rure latent,
 Vltima vel posuere in agris vestigia, & inde
 Ad caelum volucris, se retulere fuga,
 Urbis amator erat Fuscus, tu ruris Horati.
 Cetera qui Fusco, pene gemellus eras,
 Musarum tibi cætus amat nemus, & fugit urbes,
 Ipse sibi ut tota mente vacare queat.
 Ignorasque locum potiore in rure beato.
 Nec tibi iam quamuis maxima Roma placet.
 Rus itidem Ortelius præfert, ut Horatius, urbi,
 Utque animi, distant nomina & ipsa parum.
 Fumosas Fuscus, fumo qui concolor, urbes
 Et referens Fusci nomina Brunus ament.
 Hactenus Ortelius. Sed & addere deinde parabat
 Præsidio causæ plura futura sua:
 Nempe Geographicas sic laudatur a tabellas,
 Ut sua, Brune, tuis utiliora probet.
 Ast ego præuertens: Vestram hanc componere litem
 Sic, inquam, ut vestrum vincat uterque, volo.
 (???) Debetur

Debetur toto, tabulis quem rettulit, orbe
 Laus magna Ortelio, nec tibi Brune minor.
 Quare, ut suaue magis dulces sese inter amicos,
 Quam secus, est Brunum cernere & Ortelium:
 Gratius aetherios ignes spectare, colore
 Ceruleo liquidi se sociante poli.
 Bysina & ora sua speciosior addita veste est.
 Nec sat disuncta vestis, & ora decent:
 Atque adamas, nudum si contemplere, minus quam,
 Auro si inclusum, quo capiaris, habet:
 Deniq; ut urbs, & pars vicini ruris eodem
 Obtutu, atque uno tempore visa iuuant:
 Sic non inter se vestros conferre labores,
 O Socij (hac semper res odiosa fuit)
 Aut illum huic, aut hunc illi preferre, sed illum
 Aequè hunc aequali tollere laude placet.
 Bibliopola igitur coniungat utrumque Theatrum
 Censeo, ut ex unus fiat utroque liber.
 Sic duo constituent unum Amphitheatrum, oculisq;
 Iuncta Theatra magis grata duobus erunt.
 Nec spectatorem, renuat nisi bulga, pigebit
 Duplice opus duplex aere parare sibi.

Dominicus Lampsonius Bru-
 gensis canebat.

CARMEN HUGO-
NIS FAVOLII IN TERTIVM
VRBIVM THEATRVM GEORGII
BRAVNII AGRIPPINATIS.

Intulit orator canis Ortensius olym
 Stellantem Iunonis auem, gemmisq; decoram,
 Pendentemq; alas, caudamq; ad terga rotantem,
 Monstrantemq; vago conuuis picta colore
 Sydera, purpurea passim qua luce repleta
 Non una variant proprios ratione colores.
 Intulit haud aliter, studijs quo consulat almis
 Ortelius, quondam vectus super aethera curru
 Phœbeo, varios ritus, tractusque locorum,
 Ignotamq; alio penitus gentem Orbe repostam.
 Quæ varijs prudens tabulis distinxit, ut esset
 Spectanti vario Mundi sub climate, nota

Qua-

Qualibet occultè latitans pars orbis operti.

*Ingens ingenij labor, & res magna, Profundi
Cerulea metiri, terram distinguere filis
Et paruis totum tabulis describere mundum.*

*Brunius, at varias vrbes, cumq; urbibus arces,
Fluminaq; excelsos cingentia margine muros,
Deduxitq; altis labentes alpibus amnes:
Coniunxitq; soli terreni maxima regna,
Oppidaque ignoto seclusa sub orbe, celebri
Extollit fama, seris spectanda sub annis.*

Cunctaque ab interitu seruat, reuocatq; sub ortum

Quae velut obscuris iacere obducta tenebris:

*Vt non sit regio, quocunq; ea fixa sub axe est,
Siue illam spectes amplam, siue intus & extra
Egregio ornatam, prisco & fulgore micantem,
Quae non sit proprijs ornata vel urbibus, altis
Arcibus, aut celsis ferientibus astra colossis.*

*O felix etate bona, si cuncta benigno
Sydera prospiciant vultu, dignissime longa
Annorum serie, & transcendere Nestoris annos,
Bruni Castalidum decus immortale sororum.*

*Nunc tua te prodit virtus, tua fama manebit
Per varios terra tractus, vrbesq; remotas.
Nam duce te priscos seruasse videmus honores
Innumeras vrbes, varias cumq; urbibus arces,
Et male seruato rursum splendescere cultu.*

*Ergo ferent merito in calum tua facta nepotes,
Posteritasq; tuas extollet laudibus vrbes.
Dumq; arces stabunt, dum cinctæ mœnibus vrbes,
Iura Palatinusq; dabit dum sancta senatus,
Iustitiaq; sacras seruabunt mœnia leges,
Nominis alma tui crescet cum fœnore virtus:*

ECLOGA HERMAN
NI ORTENBERGI NOVIOMAGI
IN VRBIVM THEATRVM GEOR.
GII BRAVNII AGRIPPIN.

Aculus Campanus.

DIc, quibus è siluis, ignotus pastor adisti,
Nulla tibi retinens insignia pristina vitæ,
Præter inane pedum, duroq; è tergo vestem?
Camp. Otia cum tibi sint, aliena negotia curas.
Ast ego, qui patrijs è finibus exsul oberro,
Nec mihi grex reliquus, nec Di mansere Penates,
Horreo cum subijt vel sola doloris imago,
Acul. Nescis illoquo depelli pectore curas?
Sedibus ecce meis iam succedemus euntes,
Non procul hinc inter præcelsa cacumina, fagos,
Hic apud irriguum tibi fagina pocula fontem,
Cum pernis, botulis, & lardis pinguibus addam.
Camp. Si iuuat ergo meos referentem audire dolores,
Etsi animus refugit meminisse, hæc accipe paucis.
Est natale solum mihi, qua iacet æquor ericis,
Milia multa patens, ubi Scaldis deuchit undas
Oceano, tollit que suas Adripia turres.
Hic me grex ouium fœtu lanaque beabat,
Complebat latis qui mollia pascua campis,
Vnde mihi facilem vitam, uxori que parabam
Prolifica, & natis, quos indurabat eidem
Vitæ, perpetuus, bisenos sub Ioue sudor.
Hic ego malebam dominusq; paterq; præesse
Sedibus angustis, quam viuere molliter vrbe
Finitima, quo ferre mea de corte solebam,
Gallina sobolem, lac pressum, matribus agnos
Amulfos, & eo mihi ditior esse videbar,
Quod quacunq; sibi Natura postulat usus,
Villula præbebat, nec opes poscebat ab vrbe;
Aurea, dum, Pacis riderent numine, rura.
At postquam populatur agris, ferus, omnia, miles;
Non secus ac pavidas memini fugitare volucres,
Vulture conspecto, vel si qua rapacior ales,
Pars adiere nouum, Carolo quem principe nobis
Enituisse ferunt, mundum, propiusue profecti,
Pars Celtas, alij remis velisque Britannos.
Diffugere greges, vix ipsum me quoque ferro
Crudeli eripui, & uagor exsul, nudus inopsque,
Qui vix ante solo patrio, me posse reuelli
Credideram, sed præcludunt suspiria vocem.

Acul.

Acul. Parce ꝑcor lacrymis, lacrymas pastoria virtus
 Respuit, est cali spatium, quo vivitur ingens,
 Sive placent silva, silvarum copia nobis,
 Sive senex maus civilem ducere vitam.
 Nuper forte mei vicini tecta Georgi,
 Cum subij, parvis spatijs lustranda per orbem
 Oppida clara dedit, quibus omnibus aenea primus
 Mœnia circumduxit, & auro eterna sacrauit,
 Huc primum egressos silvis, & montibus altis
 Fama est pastores coisse, ut fortius hostes
 Arcerent, manibus coniunctis, vimq; ferarum.
 Idem victores parta virtute quiete,
 Iustitia, & Pacis coluerunt protinus artes.
 Hic nunc magnificis tēplis pia thura cremantur,
 Hic gaudet domini versari gleba labore.
 Cunctaq; suppeditat pleno aurea copia cornu.
 Qui mage prospiciunt, hi rerum summa tuentur,
 Hos alij tanquam patres, venerantur, amāt que:
 Sic tamen, ut primas, ius immutabile seruet.
 Tali principio narrant cœpisse Quiritum
 Aeternam, alitibus, primum, fœlicibus, urbem.
 Sed tibi ne longe peregrina exempla petantur,
 Vrbs antiqua iacet vicina Colonia nobis,
 Hanc Vbij quondam nostri statuere parentes
 Post habitis proprijs aruis, quæ magna tenebant,
 Sed grauis urgebat vicina iniuria gentis.
 Ergo sibi nomen retinebunt vsque Coloni.
 Sed nox atra premit, tibi faxo Georgius ipse
 Monstret, quæ seris monumenta nepotibus abdit,
 Aurea cum nobis iterum lux crastina surget.

AD GEORGIVM
BRVNIVM THEATRI VRBIVM
AVCTOREM ELEGIA.

O *Tia Saturno traherent cum secula rege,
Rusticus & nullo verteret arua boue,
Maßica sed toti ruerent in pocula fontes,
Ruraq; complerent auia mille faui,
Non muri, non mœnia erant, nec peruia tellus
Sollicitas hominum senserat alma vias,
Nec labor externos vlli cognoscere mores,
Qualem te memorat Chius, Vlysse, senex
Multorum ignotas docilem venisse per vrbes,
Quà maris extremis terra tenetur aquis.
Sed pia cura Deum, regno meliore, veternum
Exiit, & stimulos addidit ingenijs.
Tunc artes venere sacra, tunc cultior ætas,
Atque animi quamuis tunc abiere rudes,
Oppida cum, legesq; data, & commercia terris,
Et faciles alnis præbuit vnda vias.
Ipsaq; conspectus non dedignata viriles
Natarum Vrania maxima Mnemosynes
Terrarum, caliq; modos, & liquida regna
Edocuit, rapidis non sine sideribus;
Qua tellus sit lenta gelu, qua frugibus apta,
Qua grauis arentes æstus hiulcet agros.
His ego non gemmas, non pondera diuitis auri,
Musarum aut totis putria signa toris,
Nec tui docte sinas, Musarum cura Georgi,
Nec soror hoc Phœbi, nec Deus ipse probet.
Illa tui mihi sint cordi monumenta laboris,
Que facili solers duxit in ære manus,
Lustrandasq; dedit totas cum mœnibus vrbes,
Æquora prospectat qua sua cumq; Ceres.
Queis tibi non vlllo quasitum nomen ab æuo
Excidit. ingenijs stat sine morte decus.*

Ioannes Liuineius.

FRON

FRONTISPICII EXPLICATIO.

Grandæuus Scythici moderatus sceptrâ Scylurus
Imperij natos decies suscepit octo.

Hos, ubi conspiceret, supremam fatâ minari
Horam, iamq; suâ metâ describere vitâ,
Conuocat, atque dato iaculorum fasce cuius,
Hunc iubet ut rumpant. Robur, quo rumpere possit,
Quilibet esse sibi constans negat. Eximit inde
Singula tela parens, & nullo singula nisu
Confringit. Natos hinc talibus admonet orsus:
Colliget unanimes vestras Concordia mentes.
Viuite pacifici, longum iussisq; valere
Litibus & rixis, regni coniungite nervos.
Robora, diuitia, milesq; parabitur, hostem
Qui patrijs possit depellere fortiter oris,
Absque pauore frui partis, & plura licebit
Quarere: vos multi, nullumq; timebitis ipsi.
Ast ubi disidijs aditus patefactus, & ira
Pectoribus fixa, tum seditione diremti
Ac scissi fuerint animi: iam nulla medela
Morborum, iam nulla datur reparare vigorem
Amissum ratio. Perijt, quodcunque tuendi
Robore, disidijs Regnum se reddidit orbem.

Contemplare libri frontem. Depingit id ipsum,
Quod Scythâ monstrauit Scythicis, HOGEBERGVS ad artis
Præscriptum digito sculptis solerte figuris.

Pluribus intuitu nexum de cordibus offert
Fasciculum primò CONCORDIA, parte locatam
Opposita monstrans PACEM, quæ turture gaudet
Verticibus recubante suis: tum fœmina rerum
Cernitur omnigenum manibus SECVRA plicatis,
Dei te deim quiduis promens OPVLENTIA cornu.
Tum quippe aspicias, vrbes & regna potiri
Pace, nec externo lacerari à milite, nulla
Seditione quati: si ciuica pectora lites
Non dirimant, si blanda liget Concordia plebis,
Et procerum mentes, Princeps cum principe iungat
Fœdera, verus amor deuinciat undique corda.

Pacè coluntur agri: complentur diuite fructu
Horrea. Mercator peregrinas vadit in oras,
Fertq; refertq; quibus se gens humana carere
Possè negat: faciunt operas, gnauumq; laborant

Artifi-

Artifices: Phœbus Musas Heliconis alumnas
Vrbibus inducit: populusq; Prophetica discit,
Et docet absque metu venerandus scripta sacerdos:
Denique securam nummi ponuntur in arcam,
Quando libido feret, quandoq; necesse putabis,
Promendi. Cruciat Mars sollicitudine ciuem
Perpetua, deuastat agros, vinetaq; perdit.
Diripit insanus, quæ conspicit obuia, miles,
Oppida consumit flammis, transigit honestos
Ense viros, nulli parcit, rabieq; ferina
Insanit. Facies narrabit Belgica, Gracum
Consule, cum Gallo confer. Discordia, dicent,
Bella parit: bellis querimur, florentia quondam
Oppida nunc deserta viris, rebusq; iacere
Orba necessarijs. Traiecti insanit Iberus,
Machliniam Germanus habet, vastauit Athenas
Turcius: Dissidijs casus debemus iniquos.

Efficiat Deus omnipotens, ne iurgia Gentis
Germanæ componat Arabs, Oriente remoto
Qui semel egressus non patria rura reuifet,
Donec eas etiam, quæ sole cadente tepescunt,
Finibus Assyrij imperij coniunxerit oras.

Illi, quæ cruciat se sollicitudine nulla,
Subdita diua IVGI patiens: & RVSTICA dextra
Instrumenta gerens, illi, quæ diuite quiduis
Depromit cornu, dominantem sede suprema
IVSTITIAM generat. Huius fert dextera strictum
Ensem, læua libram. Gnauo dum namque labore
Vertit agrum, plantat vineta colonus, & hortos
Excolit, ac natos diuino munere fructus
Non retinet sibi, sed diuendit in vrbibus, omnes
Diuitiasq; soli largè communicat illi,
Longinquis varias qui merces portat ab oris,
Emitaq; mercator pretio dat aromata iusto,
Dat pannum, corium, confectum è lacte butyrum,
Artificesq; suis commune laboribus augent
Amplificantq; bonum: queritur sibi nemo deesse,
Queis eget, & prudenter opes iusteque locantur.

Sed nec opes sceleri, pacata nec otia franos
Nequitia laxare decet, nec vincula legum
Rumpere. securam tum denique viuere vitam
Verè contigerit, formata timore Iehouæ
Pectora si iustas legis patiantur habenas.
Diuina, cultuq; Deum, quo poscit, honorent.
Et proceres simul, & ciues: ac subdita iustis
Pareat imperijs dominorum turba suorum.

En igitur Pacem peperit Concordia: pacem
 Otia diuitiasq; dedisse videmus: Et illa
 Obsequio legum munita, sed hasce benigna
 Instructas dextra terris retulisse supremo
 Prognatam Ioue Iustitiam, qua munit Et ornat
 Oppida, conseruat florentia, perdit a rursus
 Erigit, omnigenum constans medicina malorum,
 Queis Theba periere, quibus periere Colossi.
 Verum ubi flagitijs nullus finisue modusue
 Ponitur, Et scelerum numerusq; gradusq; subinde
 Incrementa capit, iustus nec stringitur ensis
 In scelerum authores, imò scelerata piorum
 Innocuum gaudet potare caterua cruorem:
 Exscindunt vrbes bellumque, famesq;, luesq;
 Fæda Venus Sodomã, scelerata libido Gomorrham,
 Raptus adulterio connexus perdidit urbem
 Troianam, perijt ponto vicina Corinthus
 Spurca libidinibus. Solyma vix ruder a cernis,
 Qua Dominum mundi crucifixit, viuere poscens
 Turpem flagitijs Et seditione latronem.

Suggestit ista libri facies: tu lector amice,
 Inspice progrediens, HOGEBERGICA dextera
 quales

Sculpsit ideas: artem mirabere, claudi
 Grandia qua possint tantillis oppida chartis.
 Tum lege, qua veterum promens monumenta librorum
 BRVNO refert, BRVNO longè doctissimus autor,
 Oppida describens, ut sint sita, quòue fruantur
 Iure, quibus sint principibus subiecta, Deumq;
 Quaratione colant, Et cætera digna relatu
 Commemorans. Tandem votis ardentibus opta,
 Omnipotens digitos Hogebergi viuere mille
 Annos ut inbeat, sculpturos oppida mille:
 Brunoq; ut excedat viuacis secula corui,
 Ipsius ut toto prudentia clareat orbe:
 Denique caelestes recipi sit dignus in vrbes,
 In quibus æternum cum sanctis gaudeat, Amen.

Casparus Trogus
 Decumas.

(?????) MA-



MAXIMILIANVS Secundus, diuina fauente clementia, electus Romanorū Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Recognoscimus & notum facimus, tenore præsentium, vniuersis. Rempublicam benè & rectè constitutam, nō tam armis, mœnijs, & propugnaculis, quàm litterarum studijs, & viris rebus agendis aptis & idoneis munitam esse decet. Animaduertentes autem ad conseruandas & propagandas bonas artes, ac seminarium quasi virtutis constituendum & retinendum, operas typographicas plurimū adiuuenti conferre: Ideo non eos solum, qui Reipub. domi aut foris prodesse, vel hostium iniurijs propulsandis, vel pro Tribunali Ius, & iustitiam administrando, quietem & tranquillitatem publicam tueri solent, sed etiam in primis existimauimus fouendos, qui rei litterariæ curā suscipientes, non de nostra solum ætate, sed de posteris etiam bene mereri nituntur. Cū igitur nobis iam humiliter exposuerit noster & Imperij Sacri fidelis dilectus, Franciscus Hogenbergius. Quod cum superioribus annis (præter alia opuscula) vtrumque theatrum de Ciuitatibus Orbis Terrarum edidisset, accedisse, vt quidam ciuitatum, regionum, aliarumque pulcherrimarum rerum descriptiones magno suo labore & sumptu depictas imitarentur, suoque nomine in lucem emitterent. Hacque ratione factum esse, vt suo labore partum decus sibi vendicarent, & omne lucrum atque emolumentum quod ipsi Hogenbergio auctori & inuentori debebatur, ad se transfulerint: Demisse nobis supplicando, vt quia nunc nouas variarum regionum & nunquam antea visas descriptiones, tertium de vrbibus totum, venustas Bibliorum icones & multa alia præ manibus habeat, quæ in lucem edita non parum lucis Geographiæ & historiarum studijs sint allatura, ne (quod antea accidit) huiusmodi laborum suorum fructus rursus ab alijs intercipientur, vt priuilegiū generale ad omnia ea, quæ in hoc genere editurus sit, ipsi concedere benignè digneremur: Nos sanè eiusmodi precibus gratiosè admissis, præsentium vigore, scienter, animoque bene deliberato, & Cæsarea auctoritate nostra seriò decernimus & statuimus, quod nemō pictorū, sculptorum, cælatorū, typographorum, bibliopolarum, & aliorum, qui vendendis, vel imprimendis libris, seu quacunque alia ratione librariam negotiationem exercent, æmulisque opus illud imitaturis, pingendis, sculpendisque, aut alio quouis modo exornandis, atque illustrandis imaginibus & tabulis vsui vel auxilio esse possunt, memoratum tertium de vrbibus totum, Bibliorum Icones & quacunque alia in hoc genere præfatus Hogenbergius editurus est, intra decennium ab editionis absolutæ die numerandum, coniunctim, vel diuisim, ipso inscio vel inuito, nec typis, nec sculptura, seu quocunque alio modo, aut caractere, æmulari, aut imitari, vel alicunde allata, intra Sacri Romani Imperij fines vendere, ac distrahere publicè, vel occultè possit aut debeat. Si quis autem præfens edictū nostrum transgredi aut violare, memoratumque opus recudere, & in fraudem auctoris spargere conatus fuerit, cum non solum huiusmodi libris, tanquam commissis & prædicto Francisco Hogenbergio, vel hæredibus, aut mandatum habentibus, auxilio Magistratus eius loci, vbi deprehensi fuerint, vendicandis priuari, sed insuper etiam poena decem marcarum auri puri fisco nostro Imperiali, fraudis vindici, & parti læsæ ex æquo soluenda & numeranda mulctari volumus. Ita tamen, vt ex singulis editionibus aliquot exemplaria quàm primum ad Imperialem Cancellariam nostram transmittantur. Quod si negligetur, hac nostra gratia & priuilegio neutiquam uti aut gaudere possint, sed eo priuati & exuti censeantur. Mandantes proinde vniuersis & singulis nostris, & Sacri Romani Imperij subditis & fidelibus dilectis tam ecclesiasticis quàm sæcularibus cuiuscunque status, gradus, ordinis & cōditionis existiterint, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti sunt, ac vel suo, vel superiorum suorum loco & nomine, Iuris & Iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam hoc Priuilegium, seu interdictionem nostram impunè violare, spernere aut negligere patiantur. Sed, si quos contumaces compererint, præscripta poena plecti, & quibuscunque rectè fieri potest, modis coerceri curent, quatenus & ipsi grauissimam indignationem nostram euitare voluerint. Id quod testamur præsentibus litteris, manu propria subscriptis, & Cæsarei sigilli nostri impressione munitis. Datum in ciuitate nostra Imperiali Ratispona, die vigesima quarta mensis Iulij, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo sexto Regnorum nostrorum, Romani, decimo quarto, Hungarici, decimo tertio, Boemiæ verò vicesimo octauo.

Maximilianus.

V. Io. Bap. VVeber, &c.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ
Maiestatis proprium.

Obernburger.

COLONIAE AGRIPPINAE,
TYPIS GODEFRIDI
KEMPENSIS.

ANNO REPARATAE SALVTIS
HVMANAE. M. D. LXXXI.

COLONIA AGRIPPINAE
TYPIS GODFRIDI
KEMPENSI

ANNO REIPUBLICAE SAEPVLTIS
MDCCLXXI

NORVVICVS.



ORDOVICVM, vel, vt alij, NORVVICVS, populosa Angliæ ciuitas, & vna inter multas celeberrima, ad Orientis Insulæ extremum latus sita, quam veteres, Ordoicum, deprauatè quidem illi, recentiores verò, Nordouicū multo certè deprauius cognominauere. De nominis namq; ratione atq; origine variæ sunt, & multiplices diuersorum hominum opiniones. Siquidem qui ea de re scripserunt (scripserunt autem plurimi) in dubias, & ancipites sententias distrahuntur. Quidam enim à regulo quodã seu duce; Noro (nam id in primis traditur) nomen ciuitati impositum putant. Nonnulli, à Norico, antiqui sanè nominis fluuius. Cæterum & fluuius, & fluuij nomen vetustate iam penitus exaruit. Alij, de piscinis quibusdam, nescio quid, non minus fabulose quam perridiculè, & insulse cõminiscuntur. Sunt, qui ex his duobus saxonice vocabulis: Nort, & VViche, simul iunctis, ac si dicas, Aquilonarem vicum, talis enim Latino, si exprimantur, sermone, istorum verborum vis est, urbem, Norvvicum, nuncupatã existiment. Hos vt sequar potissimum, inclinatur animus. Est autem Norvvicus, si ad ea tempora respicias, quando illic ab Anglosaxonibus primùm habitari cœptum est, vrbs sanè perantiqua; sin autem ad vetustiora sæcula, & Gurguntum ac Guthelinum Britannos (haud dubio eius, quod hodie visitur, Castellum auctores) antiquissima. Forma eadem ferè, quæ arci vehementius intento; positaq; est in leni montis deiectu, longe, lateque spatiosa. Etenim in longitudinem ab austro in septentrionem, mille, quingenta passuum, & amplius protenditur. Latitudo autè ab ortu in occasum, hoc est, à montis radice, quam flumen alluit, ad summum verticem, passus fere mille; vbi sensim crescendo, in maiorem semper amplitudinẽ diffunditur. Ciuitatem mœnibus cinxerūt, vt fama est, vrbs eius ciues duo, Spinchius quidã & Sparuchius, Anno recuperatæ salutis, M. CCC. LXXIV. Porro, eodem vtuntur iure, & iisdem penè ritibus atque institutis in ciuitate gubernanda ciues Norvvicenses, quibus hodie vtuntur Londonienses; Prætoremq; (Maiorem ipsi nuncupant) Regis permisso, quotannis deligunt, cui quemadmodum Londoniensi, vsitato more, atq; solenni, gladius præfertur. Diu tamen, sicuti quondam Londinum quoque, cæteraq; huius insulæ ciuitates, Præfectos habuerunt suos, seu vrbs submagistros, quos alibi Balliuos adpellitant. Anno verò M. CCCC. III. qui fuit Regis Edouardi, eius nominis Quarti, is administrandæ ciuitatis ordo primum immutatus est, isque, quem nunc retinent, institutus. Cæterum sedes eius Prouinciæ episcopalis, primum Dunuici fuit: (peruetus est id oppidulum, iuxta Mare situm, hodieq; Filchstovv, dicitur) deinceps, nam duo tũ vni, atq; eidem Prouinciæ Præsules præsidebant, & Dunuici, & Elmhami; nec ita multo post, regnante Eduino, vbi ad vnum denuò Præsulem pontificia dignitas deuenit, vsque ad Gulielmi Nortmanni tempora, Elmhami, permansit. Demum, Gulielmo regnante, Arfastus quidam Elmhamo Thetfordiam transtulit; Thetfordia Norvvicum Herebertus, atq; vt illic perpetuò consisteret, proprijs ibidem sumptibus ecclesiam cathedralem, Anno salutis M. LXXXVII. construxit. Ad Norvvicensem hanc urbem, quemadmodum & in reliquis Britannia præcipuas, Daniel Rogerius, Albimontius Anglus, poëta nostri æui elegantissimus, omniq; artium, & variarum disciplinarum nitore vehementer politus, hoc, quod subijcio epigramma, superiore anno lusit, in procinctu aulico, cùm Serenissima Angliæ Regina, magnifico isthic apparatu, varijs comitata legatis, exciperetur.


*Londino assurgit Norduicum iure, priori
 Dein Eboraci urbem, quod mage prisca, colit.
 Bristolio, dubitat, num cedere debeat æque:
 Vtraq; Pontificis claret honore pij.
 Mœnibus illa valet, cincta hæc quoq; mœnibus altis.
 Arce potens hæc est, nec minus illa potens.
 Nobilis emporio viget vtraq; Bristolin amnis
 Sabrina refluens: hanc sed Hierus adit.
 Vtraq; fecunda circumdatur vberè gleba,
 Vtraq; culta opibus, eius decora suo est.*

*Norduicum populi numero, spatioq; per amplo:
 Nauibus vrbs præstat Bristoliana vagis.
 Hospitibus Belgis simul hæc, simul illa benigna est:
 Vnde simul laudem, commodaq; ampla ferunt.
 Ambæ quid possent, Dacæ sensere cohortes:
 Nortmannas ambæ sustinere manus.
 Ite pares igitur, memores, quod tempore prisco
 Vtraq; Vena vnâ voce vocata fuit.
 Tu sed Isenorum Norduicum Vena fuisti:
 Vena vbi Belgarum Bristolis ante fuit.*



- | | |
|--|---|
| 1 The place where men are custom | 12 S. Martins at th Ooke |
| 2 Bishoppes Gate. (the burat) | 13 The new milles |
| 3 The Cathedrall church, called Chrystes | 14 Hell gates, the Suburbs
toyng toir called Hells |
| 4 S. Martins at the Pallis Gate. Church. | 15 S. Benets Gates |
| 5 Poke thorp gates | 16 S. Gues Gates |
| 6 Magdalene gates | 17 S. Stephens Gates |
| 7 S. Butbildes | 18 Brufen dore |
| 8 S. Clementes | 19 S. Thons gates |
| 9 S. Auguſtines | 20 Lakenam Woode |
| 10 S. Auguſtines Gates | 21 Chappell in the ficlle |
| 11 S. Martins Gates | |





M. V. O. I.
S. A. T. I. V. I. A.

BRISTOLIA



BRISTOLIA, Venta Auilonia, nunc Bristovve, olim autem Britannis, Caer Oder yn nant Badon. Id est, ciuitas Oderæ, in valle Badonico, famosissimū Angliæ Emporium, primum post Londinum obtinens locum, situm est V. M. P. ab Oceano, in vtraque editiore ripa Auonij fluminis (Auon Britannica veteri lingua, fluuium significat. caret itaque proprio nomine hic annis) ponte autem lapideo coniungitur, sed domibus vtrinque, ad eò cōstructo, vt transgredientibus pons minimè percipiatur. Permagnus hic Oceani æstus. eius enim fluxu, & refluxu, ita crescit, decrescitque, vt naues, eo decrescente, in vado hærentes, eius inundatione, ad nouem vel decem, interim ad vndecim vlnas, in altum deuehantur, idque singulis diebus. Littora, quæ hunc fluuium in Oceanum, profundo admodum alueo deferunt, ex rupibus, cauitibusque ferè constant, quorum summitas, qua se in planitiem campestrem explanat, adamantum ad eò est fertilis, vt nauem quis onerariam, ijs implere possit. A dextra fluminis parte, hæc ripæ à S. Vincentio cognominantur, cuius domicilium, siue cryptam, in ipsa littoris decliui crepidine excisam, vsque hodie ostendunt. Hicque hæc gemmæ singulares omnes è terra eruuntur. A sinistra autem, quæ D. Georgij nomen refert, non item. vbi namque, conglobatæ, & orbicularibus silicibus inclusæ, effodiuntur. Hi rufum colorem referunt, fragiles sunt, & intro caui, quos si ruperis, statim se adamantes pelucidi, concauo horum circumcirca adfixi, oculis offerunt, matrices vel adamantum oua, hos silices, nõ ineptè dices. Solum, quod æque, vt hi silices, rufescit, & laterem coctilem, in tenuissimum puluerem redactum quis putaret, frumenti, frugumque valdè ferax est. Sed naturæ lusitantis miraculum, studiosus hic lector consideret. Reperiuntur namque interdum, ab ipsa rerum parente, tam affabrè adamantes in mucronem turbinati, interdum superficie plana, figuraque quadrangulati, vt ab artificiosissimo gemmario, ad normam non possint dexterius secari. Duriæ ab Indicis, siue (vt vulgus loquitur) ab Orientalibus, vincuntur, tanta tamen præditi, vt vitrum scalpant. Inuenias peritos gemmarios, qui nulla in re hos ab illis differre iudicent, quam vulgi opinione. Et hæc quidem hæcenus, nunc ad vrbem redeamus. Hæc priuatis ciuium domibus, & publicis ædibus, fanisque Diuorum, luculenter ornata, atque incolis admodum frequens. Præstat hoc mercatorum omnigenum hic confluxus. Cum exteris enim, in primis Hispanis, Gallis & Hibernicis, quotidie negotiantur. Bis quoque in anno, ad Americam orbis partem Septentrionalem, quam terram nouam appellant, piscandi gratia, nauigant. Omnium itaque hic rerum affluentia & copia, atque annonæ, vt plurimum, grata, exoptataque vilitas. Inter alia rarioris notæ, primum occurrit templum in signe D. Mariæ, quam Radcle, vulgò cognominant, cōsecratum. Hoc in ripa dicti fluminis, haud procul è mœnibus est, pulcherrimi sanè operis, cum turri suspiciendæ ex marmore altitudinis, intus vndique saxo testudine cōcameratum, cum lacunari sculprili, artificiosè variegato. Huic alia testudo lignea supernè imminet, quæ plumbo tegitur, inter quas duas vacuum, quod erectum hominem continere potest, remanet. Incolæ tradunt, hoc fanū à ciue, (quem Guilielmum Canynges nominant) mercatore, & huius vrbis Maiore (Magistratus sic appellatur supremus, & annuus) proprijs impensis ædificatum. Cuius Canyngi in hac ipsa æde sepulchrum honorarium, ex lapide magnificum, quod eius, & vxoris suæ imagines integras marmoreas, ea forma, & vestitu, quo mercator incedere solebat, ad viuum refert. Hoc adiecto Epitaphio:

Hic inferius tumulatur corpus nobilis & circumspecti, magnæque industriæ viri, VVilhelmi Canynges, dudum valentis Mercatoris, & quinquies Maioris istius ville, & postea in ordine sacerdotali per septennium constituti, ac Decani de VVestburi, qui in ista Ecclesia duas cantarias perpetuas, duorum Cappellanorum, videlicet, vnum in honorem S. Georgij, & alterum in honorem S. Catharinæ, ac etiam vnum clericum stabilem fecit, & iuxta eum requiescit vxor sua Ioanna, quorum animabus propicietur Deus.

Alio in loco, sed eodem in templo, idem aliud habet monumentum, ex eiusdem generis lapide, cum eius imagine sacerdotali, quod iuxta Sarcophagus est, qui ossa continet. Aliud insuper hic templum visitur, quod S. Crucis nomen habet: hoc lanæ impositum credunt ciues. quod etsi videatur absurdum, tantæ molis nempe fundamentum, tam molli constare posse materia, non nemini tamen ex ijs, quæ sequuntur, persuaderi, fortasse facile erit. Præcelsam habet, & elegantem turrim, quam crassitie & altitudine cum ea Coloniensi, quæ sancti Martini minoris nomine innotescit, æquiparare ausim. Hæc, sonante, quæ in ea seruatur, campana, hac illac, ad eò commouetur, vt tandem hac nimia, & frequentiore agitatione, se à cætero templi corpore abruperit, rimamque à summo tecti culmine, ad imum vsque egerit fundamentum, ita hiantem, vt transuersos tres caperet digitos. Scribit ad me Abrahamus Ortelius, summus vt antiquitatum admirator, ita, dum Cosmographiam remotissimis in locis rara diligentia excolit, sumptibusque & impensis permagnis exornat, rerum mirabilium, & stupendorum naturæ, artiumque miraculorum, indagator acerrimus, Huic rimæ lapillum oui anserini magnitudinis, se imposuisse, quem sensim viderit deorsum, prout ea se arctaret, dilataretque, deuolui, atque ex crebra collisione, in frustula demum conquassari. Dorsum cum turri subiecisset, ruina eius oppressum se iri, reformidasse. Aeditum etiam (quem Gubernatorem ibi nuncupant), aliosque non minoris auctoritatis viros retulisse, totius huius templi molem, olim, priusquam hiatus iste factus esset, titubasse, idque ea vehementia, vt lampades inde extinguerentur, oleumque effunderetur. Esseque huius rei adhuc in eadem dioecesi, testes viuentes. Templum autem nunc, quia campanarum sonitu minimè tangatur, immorum subsistere.



BRIGHTSTOWE



BRIGHTSTOVVE, vulgo: quondam venta, florentissimum Angliæ Emporium.

- 1. S. Peter.
- 2. S. Mary port.
- 3. Christchurch.
- 4. S. Laurence.
- 5. S. Tones.
- 6. S. Leonard.
- 7. S. Warbors.
- 8. S. Asphus.
- 9. S. Ashaloves.
- 10. S. Nicholas.
- 11. S. Stephen.
- 12. S. Michael.
- 13. S. Thomas.
- 14. The Temple.
- 15. S. James.





CESTRIA



CESTRIA, Deua, Antonino, vrbs Angliæ, Comitatus Cestrensis super Deam fluuium, Romanorum monumentis celeberrima, de qua Iohannes Lelandus comment. in Cygneam cantionem, ita scribit: Deua, Britan, Cair Leon ar dour Devv. id est, Castrum Legionis super Deuam flu. Ar Devv, à Britannis consulte additum, vt flu. titulo distinguerent à Cair Leon ar vviske, quam urbem Romani, Iscam appellabant, & Iscelegiam. Antoninius scriptor Latinus hanc urbem Deuam à flu. appellat. Beda secundo capite, secundi libr. historiæ Anglicanæ, urbem Cairlegion appellat, secutus Britannos. At Saxones, aliud indidère nomen, videlicet Legecester, à Legionum castro, vt apparet ex Rogeri Houedeni hiltoria. Admiror interim, quæ auctoritas eò deduxerit Gulielmum à Maildulphi curia, vt libro de episcopis Angliæ quarto, scriberet, Legionum urbem inde dictã, quòd emeriti milites Iulianarum Legionum, illic confederint. Ego verò palam pronuncio, nec legiones Iulij, nec ipsum Iulium eo peruenisse. De Decia flu. fusius hîc scriberem, nisi nuper in libello, cui titulus Genethliacon, in gratiam Eadueardi Principis edito, accuratè pinxissem Tegeum lacum, Penliniæ ornamentū magnum à quo defluit, ac præterea cursum illius omnem ad ipsa vsque ostia. De antiquitate & magnificentia huius vr. bis scripsere quidem multi, at fusissimè Ranulphus Hygedenus, & Henricus Bradeshauus, monachi Cestrêses: Ille, in historia, cui titulus Polychronion: hic in vita D. V. Verburge virginis. Sentijt magnam hæc ciuitas cladem, tyrannide Ethelfredi Nortabrinorum Regis, at maiorem longè persequutione Danica, qua tantum non funditus concidit. Ethelfleda filia Ealfridi Magni, & Coniunx Ethelredi Comitum Merciorum, quam Henricus Huntendunêsis, eleganti carmine vel ad sydera tollit, urbem & reparauit, & exauxit. Leofricus Merciorum Comes, vir, tum nobilissimus, tum optimus, Deuæ gloriam insigniter promouebat. Idem fecit & Lupus Comes, gente Nortmannus. Tandem Petrus quidam, coronidem magnificentiæ addidit, eò transferens Lichefelda sedem Episcopatus, Gulielmo Magno Anglis imperante. Atque hæc quidem ex Lelandi commentarijs hætenus. Ranulphus autem Cestrensis monachus, quem Lelandus allegat, Polychronij sui lib. 1. cap. 18. Ciuitas, scribit, Legionis, videlicet Cestrensis, situatur in Marcheis Angliæ, super riuulum Dea, & Latine nuncupatur Cestria, vel Legicestria, & ciuitas Legionis etiam, eò, quòd ibidem hyemabat militum auratorum legio vna, quam Iulius Cæsar miserat, Hiberniã superandam. Et postea Claudius Cæsar, ab inde Legiones misit ad Orcades insulas expugnandas. Huius ciuitatis ædificatoris nomen non constat. Nam quicumque viderint concaua ædificia ibidem magnis lapidibus constructa, opera Gigantum, vel Romanorum potius, quam Britannorum esse, iudicarent. Antiqua ibidem hominum nomina characteribus veteratis inscribuntur. Iulij quoq; Cæsaris nomen ibidè mirabiliter insculptum est. Hæc quoq; ciuitas, tempore Britannorum prima erat Venedotiæ, videlicet Borealis Valliæ partis. Ista quoq; ciuitas magnum numerum mercimoniorum tam recipit, quàm emittit: pecoribus, frumentis, & piscibus, præcipuè salmonibus, abūdat. Huc vsq; Polychronion. Cestria igitur Episcopalis, magnifica, & celeberrima Angliæ vrbs, amplitudine, superbo ædificiorum nitore, & cultissimorum hortorum elegantia commendata, duo passuum millia, in circuitu colligit. Ecclesias parochiales nouem, & cathedralem elegantem exhibet, præter loca alia sacra, vt hospitalia, & Nosocomia, religioni nuncupata. Suburbia habet elegantissima, & spaciofa, plateas patentes, & domus eum in modum constructas, vt per vniuersam propemodum urbem ambulare quis possit, & in plateis tamen nunquam conspiciatur, sed in peristilijs, & mœnianis, ab vtraque platearum parte, constructis, quas vulgò (le Roes) nuncupant. Quæ quidem ambulacra, plurimas vtrinq; officinas, & multos, varijs in locis, gradus habent.

Hæc quæ sequuntur, Londino cum vrbs Cestrensis icone, operi nostro inferenda, accepimus.

Anno ante Christi incarnationem 917. Rex Leyll incepit ædificare ciuitatem de Cairlehon, quam hodie Cestriam nuncupamus, ex incepto opere Lehon Gauer, magni Gigantis, qui circundedit ciuitatē muro, & hodie Britannica lingua, Cairlehon dicitur.

Anno salutis 126. Marius Rex Britannia, hanc ciuitatem ædificijs subleuabat, qui ibidem inhumatus manet.

Anno 901. Elfleda, Ducissa Marchiæ, hanc urbem ædificijs restaurauit, post ruinam per Danos factã, & muros magis spaciosos erexit, adeò, quòd Castellum muro inclusit, quod prius extra urbem erat positū.

Anno Domini 959. Rex Edgar, Cestriæ, aulam suam fouit, Riuum Dea introibat lintre, vbi octo Reges, remis in eo laborare coegit, ad Ecclesiam S. Ioannis appulit, & inde ad suum Palatium reuertebatur, vt appareret eum fuisse dominum & Regem tantarum Prouinciarum. Nomina aut regū hæc sunt.

Rynoch, Rex Scotorum. Malcolin, Rex Cambriæ. Macon, Rex Monæ insulæ. Dufral, Rex Australis Valliæ. Syfrith & Hovvel, Reges Borealis Valliæ. Iacobus, Rex Gallovvay; & Lukil, Rex Vestmerlandiæ.


Anno reparatæ salutis 1078. Rex Vilhelmus Conquestator, Lichefeldia episcopatū, in Cestrensem commutauit.

Anno Domini, 1301. Rex Eduardus primus, filium suum maiorem natu, nomine Eduardum, in Principem Valliæ creauit, eidemq; Principatui, Cornubiæ, & Cestriæ comitatum adiecit.

Anno Domini 1335. Rex Eduardus Tertius, Cornubiæ comitatum, in Ducatum erexit, cumque filio suo natu maximo Eduardo, dedit, vnà cum comitatu Cestrensi.

Ioannes cognomento Scotus, filius Comitum Angutiæ, vltimus fuit Cestriæ comes, à cuius tempore, comitatus ille, vnà cum Ducatu Cornubiæ, ad Primogenitum Regis Angliæ spectat.

CESTRIA (VVLGO) CHESTER, ANGLIA CIVITAS.



- theatrum*
1. S. Warbor ecclesia ca
 2. Aula Cuiatatis
 3. Domus Episcopi
 4. Domus Diaconi
 5. Forā frumentarium
 6. Porta Septentrionalis
 7. S. Thomas
 8. S. Petrus ad cruce alrā
 9. S. Trinitas
 10. Porta ad orientem
 11. S. Iohanna
 12. Porta ad aquam
 13. Ruinosa fratrum ecclesia
 14. S. Martinus
 15. S. Brigetta
 16. S. Michael
 17. S. Maria super mōtem
 18. S. Olauus
 19. Porta ad pontem
 20. Castrum Capellana
 21. Suburbia Honbridgē
 22. Porta noua
 23. Pons
 24. Turris noua


Leofric Comes obijt anno 1059.	Hugo Comes Lupus
Biardus Filius Hugonis Lupi perijt naufragio. 1179.	Hugo Comes Kestelock
Ramulphus comes obijt anno 1232.	Iohannes cognominatus Scotus Cestriae Comes Primus




Hoc flumen Dea diuidit Angliam et wallia
 Oritur in Wallia septentrionali & cursu suū
 tendit in lacū Tegeum proprie vocatum.
 Quo in lacu quoddā piscis est genus quod haud
 unquam flumen enatat. neq. Salmones (quibus
 flumen abundat, veniunt in Lacum predictum.



Bassus ped.





EDENBURGVM



EDENBURGVM, Regia & metropolitana in Scotia vrbs, Alata castra vocant, à Cruthneo Scotorú Rege condita, & primæua institutione Agneda, posteriore autem ætate ab Etho, Pictorum Rege, Ethinburgum cognominata, in Landonia, præcipua Scotiæ Prouincia sita. Forthea amne alluitur, excipitq; ab eiusdè nominis æstuario nauigia ob orientali Oceano, in frequentissimum portum, vix mille passibus ab vrbe distantem, vbi Hæmonia est insula, hodie columba dicta, vltra Fortheam, in cuius ostio Castellú Dunbar conspicitur. Habet autem vrbs ipsa Edenburgum duos montes ad Orientem, Australior, Cathedra Arthmi, & qui Aquilonem respicit, Collis apri nuncupatur. Ager vndique fertilissimus est, amœna prata, syluulæ, lacus, riuuli, arces vltra centum per circuitum vrbis, intra vnum miliare Germanicum. Ad Septentrionem interuallo Italici miliarij, est brachium maris, iuxta quod situm est oppidum Letha, in cuius medio constructa est porticus, in qua simul videre licet centum magnas onerarias naues. Habet brachium maris, ibi ad aquilonem in latitudine septem milliaria. Porrò Edenburgum in monte, instar Pragæ sita, habet in longitudine miliare Italicum, in latitudine dimidium. Longitudo accipitur ab Occidente in Orientem. Ab Occidente vrbis, assurgit mons, & alta rupes, atque arx in rupe, natura loci munitissima, sub qua, vndique est profunda vallis, nisi ea parte, qua respicit urbem. quare arx omninò est inexpugnabilis, cum aditu sit omnium difficillimo, (licet quandoque, sed mirabili prorsus stratagemate, sit expugnata, vti Index latius commemorabit) nec quisquam ad eam scandere posset, qualibuscunque etiam scalis, tam præceps, & dura est petra, in qua vultures nidificant. Quarú auium nidos deprædantur iuuenes audaciores, ex arce in sportis demissi. Hæc arx, occidentalem vrbis partè claudens, Puellarum castrum vocatur, quòd illic Regiæ, Pictorumque virgines insigniores, manuarius artibus discendis, ad nubilem vsque ætatem, vt tum fiebat, addictæ, arcta custodia seruabantur. Cæterum ad Orientè vrbis est augustissimum monasterium S. Crucis, habens annexum palatium Regis, & amœnissimos hortos, quos claudit lacus ad fundum montis, Cathedræ Arthmi. In hoc monte inueniuntur pretiosissimi lapides, clara die radiantes, adamantes præcipuè. In vrbe sunt duæ magnæ viæ, ab arce puellarum, vsque ad monasterium, & regium palatium, lapidibus quadris strata, præsertim regia via. Est suburbiú ad Occidentem, dimidio miliari longum, vocaturque via S. Cuthberti. Sunt in vrbe multa Monasteria, & templa, præsertim Franciscani, Dominicani, Ecclesiã Mariæ de Campo, Collegiú Sacerdotum: & aliud Collegiú Trinitatis, Hospitale D. Thomæ. Vrbs ipsa, non est constructa ex coctis, sed naturalibus & quadris lapidibus, vt etiam singulæ ædes possint magnis palatijs comparari. In medio vrbis est Capitolium, & Ecclesiã collegiata sancti Egidij. Habent Episcopi, Duces, Comites, Barones & Proceres totius regni, in ipsa vrbe sua palatia, quando ad Comitata vocantur. Est Palatium Regis, positum supra Monasterium amplissimum & superbissimum, à quo, vsque ad arcem puellarú extenditur perpetua quædam platea, vicus Regius, dicta, sed, quæ prope arcem puellarum latior, prope Monasteriú autem angustior est; atque hæc regia via insignes habet ex vtraque parte ædes, potioresque polito ex lapide constructas. Porrò, alia oblonga via, quæ vicus Canonorum vocatur, angustior est, seiungiturque à Regio vico, muro, porta, ac turribus, atque pro suburbio reputatur. A regia via inter austrum & boream, infiniti extenduntur viculi, qui omnes excelsis ædibus sunt ornati, quemadmodum & vaccarum via, in qua patritiorum, & senatorum vrbis, habitationes; principú ac regni palatia, vbi nihil humile, sed cuncta videntur magnifica. Inter maiores Edenburgi Ecclesias, post insignè Monasterij Basilicam, Collegiata sancti Egidij Ecclesiã, primú sibi vendicat meritò locú, in medio Regiæ viæ constructa. Deinde in vico, qui Edenburgum à via Canonorum & suburbio diuidit, Ecclesiã est celeberrima, Collegium reginæ intra muros. Item inter Monasteria Franciscanorum & Prædicatorum, sita est Ecclesiã Mariæ de Campo, vbi sacerdotum etiam est Collegium. Et sub rupe demùm arcis puellarum, noua S. Cuthberti Parochia est sita.


EDENBURG.

Castrum puellarum



EDENBURGH,
 SCOTIAE
 METROPOLIS.





NEBRISSA



NEBRISSA, Beticæ, fertilissimæ Hispanicæ Regionis oppidum, à Baccho, aliàs Iaccho, Libero patre conditū, qui Romi, Regis tempore, agmine magno comitatus, in Hispaniam venit, non tam dominationis cupiditate, vt inquit Antonius Nebriffensis in præfatione Historiæ suæ, quàm vt parem gloriam reportaret ei, quam ex domita India consequutus erat. Demum victor, nullum aliud Hispanis aduentus sui monumentum reliquit, quàm quòd Nebriffam in Bætica cõdiderit propè æstuaria Hispaniæ, quam Silius, à Satyris cultam dicit, propter ipsum nomē. Nebris enim pellem hinnuli, id est, pulli ceruini significat, qua bacchantes Bacchi sacerdotes induti, sacrificare solebant, vnde scribit:

*Ac Nebriffa Dionyseis conscia thyrsis,
Quam Satyri coluere leues.*

Hæc vrbs olim inter æstuaria erat Bætis fluuij, qui in saltu Tygenfi ortus, non longè à Castaone, fluit in occasum, dextra læuaq; oliuiferis colitur Oppidis, atq; ab Andugaro Bætica mediam secat, & Prouinciæ nomen imponens, eius vrbes nobilissimas, Cordubam, Italicam, Romuleamq; , nunc, Se-uillam, præterlabitur, tandemque per vnum ostium, magno cum impetu, exit in mare Atlanticum, iuxta municipium, quod Luciferi templum ab antiquis dicebatur. Olim autem duo habuit ostia, quorum alterum, quod Meridionalius, oblimatum est, cum alueo eodem, pertendente ab hac Ciuitate Nebriffa per Astam Coloniam ad turrinam Capionis. Ex quibus facilè (inquit Antonius Nebriffensis) soluitur illa dubitatio, quæ solet harum rerum curiosos mouere, & meipsum plerunque ambiguum reddidit. Cum Strabone, Ptolemæo, Mela, Plinio, omnibus Cosmographis auctoribus, Nebriffa & Asta colonia, inter æstuaria Bætis positæ sint, qui potuit fieri, vt hodiè non paucioribus, quàm octonis passuum millibus à flumine distent? Nimirum, quia alueus ille, qui Nebriffam & Astam præterfluebat, oblimatus est, sic tamen, vt illius vestigia hodie visantur cum æstuarijs, atque diorygibus manu factis, vt inquit Strabo, ad exportandas scaphis, & linteribus fruges ex agris in vicinas vrbes. Oppidum est autem peramcenum & pulchrum, cum arce perueteri, agro vndiq; beatissimo cinctum. Nam etsi vniuersa Bætica Prouincia frugibus, & cunctis rebus necessarijs sit admodum fœlix, hoc tamen præcipuè tractu, non solum lætissimas fruges, vina, mella, delicatus arborum fructus, oliuas, sed & immensam omnium rerum copiam producit. Quocunque nanque oppidum Nebriffense egressus, te vertas, patientes te campi excipiunt, prata viriditate & florib. læta, vineta, & maxime, frequentia oliueta. Quare Nebriffensis ager, ab olei non vbertate solum, sed & bonitate præcipua commendatur, quod hinc in Indiam exportatur. In quem vsu, varij generis fictilia, & vasa lutea hinc conficiuntur, magnæ capacitatis, quæ ipsi Tenagias, & minora, quæ Botigias, vulgo nuncupant, quibus oleum ad remotissimas mundi partes transmittunt. Est denique hæc vrbs eo multo celebrior, non, quia Bacchum habuerit conditorem, Deum ebriosum, ac male sanum, sed, quòd ciuem ediderit Aelium Antonium Nebriffensem, magnum decus & ornamentum Hispaniæ, Qui ex Grammatico & Rhetore Regius Historiographus factus, rerum à Ferdinando, & Elisabe, Hispaniarum fœlicissimis Regibus gestarū, decades binas, magna cum laude conscripsit.

SEPTENILIVM



SEPTENILIVM, vulgo, Settenil; Hispaniæ oppidum in monte, positione prorsus mirabili, itinere, quo ex Xeres de la Frontera, Malagam versus tenditur, plura incolarū subterranea habet domicilia cauernosa, in rupibus excisa, quàm quæ foris, structura videntur erecta. Solum, quale in montibus frequens, asperum & lapidosum, vt aratri culturam non ferat, sed pecoris, varij generis, diues. Nam montes hinc passim gregibus, & armentis bouum, ouium, atque caprarum, pleni. Posteriore Granatenfi bello, quoniam pacto à Ferdinando Hispaniarum Rege expugnatum, & Mauris ereptum fuerit, Indicis ex Antonij Nebriffensis historia docebit narratio.

S





XLII

AURELIA



AURELIA, vel vt alij Aurelianum, in Gallia ciuitas est, quondam Genabum dicta, sita ad Ligerim fluuium. Quis eam cōdiderit, certò adfirmari non potest. A multis creditum est ab Aureliano Imperatore fundatam esse, atque inde nomen sortitam: sed, cum constet eam multò antè, quàm Aurelianus esset, extitisse Genabi nomine, fieri non potest, vt ab eo fundata sit. Genabum verò, de quo Cēsar meminit commentariorum suorum libro 7. ipsam Aureliam esse, cum ex ipsa Cēsaris & Strabonis lib. 4. eius descriptione colligi facillè, tum ex Aimonis historia, & aliorum scriptis apertè demonstrari potest. Quapropter Franciscus Belleforestius, celeberrimus nostro tempore historicus, in noua sua Galliae descriptione, ait, verisimile videri, ab Aureliano Imperatore ei nomen inditum, qui vel auxerit eam, tametsi Vopiscus & Aurelius Victor eius rei nullam mentionem faciant, vel Genabenses à se Aurelienses vocari voluerit, quòd apud eos per Druides de imperio suo prædictum fuerit: explodi autem omninò eorum opinionem, qui ab Aurelia Cēsaris matre sic vocatam autumant, cum multò post etiam Genabum adhuc dicta sit. Minimè quoq; Sabellici sententiam probari, qui à Gallico auri vocabulo: Or, denominatum, quo ob loci, in quo sita est, fertilitatem, & ciuium singularè industriam, mirè abundet. Ligeris fluuius tota Gallia notissimus hanc præterlabens, magnam illi commoditatem ad mercaturam faciendam, præstat. Vnde non sine causa etiam olim vnicum quasi Carnutum forum fuit. Agrù circumquaq; fertilissimum habet, omniumq; abundantissimum, vt non minus pro horreo totius Gallie habeatur, quàm quondam Sicilia Romæ. Vina eius territorium præstat nobilissima, quæ inde & in Gallia, & in alias Europæ partes magna copia exportantur, nomen ab vrbe consecuta. Quapropter mirum non est, ciues ei magno numero opulentissimos, & ditissimos esse, cum & merces naturæ benignitate habeant, & ad eas aliò exportari curandas egregiam commoditatem. Loco est paulò editiore ædificata, ea maximè parte, qua Lutetiam Parisiorù respicit, atque vnde se templum S. Crucis, quod non ita pridem per sectarios dirutum fuit, ostentat. Aère gaudet puro atque salubri. Peropportunus certè ac maximè idoneus vniuersitati locus, quæ istic, inter cæteras Gallie academias clarissima, Anno M. CCC. XII. post natum Christum, à Philippo pulchro Gallie Rege erecta est. Iurisprudentiæ imprimis alumna & cōseruatrix. Nam cum Philippus Rex in animo haberet, hoc loco totius prouinciæ summo senatui sedem figere, qui etiamnum ibi est, necessitatem postulare facillè iudicauit, esse oportere, vnde veluti ex equo Troiano, prudentes ad ius populo dicendum atque administrandum rem omni mortaliū societati vti maximè necessariam, ita dignissimam, euocari haberiq; possent. Quam ad rem nihil erat Academia tali commodatius. Ex hac vniuersitate quot egregij viri non Gallie solùm, verù etiã vniuersæ Europæ communicati, & quasi dati sint, non est facile hoc loco referre. Plures enim sunt, quàm hic locus patiatur enumerari. Hoc tamen prætereundum non est, Bertrandum Burdegalensem Archiepiscopum, qui postea Pontif. Maxim. creatus, Clemens Quintus dictus est, hinc quoque egressum esse. Lingua hic vtuntur vernacula adeò pura, vt Gallis Aurelianismum esse adfirmant, quod Græcis quondam fuit Atticismus. Quare profectò multæ sunt causæ, cur externi homines frequentes huc confluant. Alij enim mercandi causâ, alij studendi, alij linguæ discendæ gratia, multi procul dubio vtranque ob causam, vt videlicet & studia prosequantur, & simul linguam purè discant. Vnde imprimis Germanis moris esse aiunt, huc filios suos domo paterna ablegare. Qua ratione inde ab origine gubernata sit, cum nemo scriptorum, quod sciam, posteritati mandarit, non est facile dictu. Colligere tamen licet ad leges Druidum, ab initio sub indigena principe istic Rempub. administratam: Postea Romanis, rerum potitis, eorum imperio, vt præscriptum fuit, haud dubiè paruissè. Ijs inde vel eictis, vel conuentione facta, in Italiam reuersis, tandem ad regni titulum euecta est, eo scilicet tempore, quo Clodoici filij Galliam inter se partirentur, primusq; Rex eius Clodimirus fuit. Hoc & prole sua mortuis, Clotanus frater in regem successit, qui idem etiam Gallie vniuersæ monarchiam, fratribus omnibus absque prole extinctis, adeptus est. Postea Gallie coronæ restituta, ab ea vsque ad Valesiorum imperij initium, non est diuulsa. Ioannes enim Valesius, Rex, vt erat à Philippo patre iussus, eam ducatus titulo, ac perpetuo quasi regni feudo, cum omni ditione ei adhærente, fratri Philippo, tū Comiti Valesio, contulit. Vnde deinde ducatus nomen retinuit. Eo iterum sine mascula prole Anno M. CCC. XCI. vita defuncto, secundò ad Gallorum regnù redijt. Nec enim in huiusmodi feudum, præter mares, quisquam succedit, non magis, quàm in ipsum Gallie regnum. Postremò Carolus eius nominis Quintus, Gallie Rex, qui sapiens cognominatus fuit, perpetua lege sanxissè videtur, vt semper Aurelianensis Ducatus secundò Regis filio, quemadmodum primo Delphinatus, cedat. Quondam ab Attila, qui se Dei flagellum appellabat, obsessa legitur, verùm inde strenua ciuium defensione repulsum, inito conatu referre pedem oportuissè.


AVRELIA FRANCIAE CIVITAS AD LIGERI FLV: SITA.



LA

oye





RHOTOMAGVS.



RHOTOMAGVS, ciuitas antiquissima, quam Ptolemæus & Rhotomagum appellat, & in Celtogallatia ponit: Ammianus autem Marcellinus, caput facit secundæ Lugdunensis Galliæ, duos habet ad Orientem fluuios, à quibus perluitur, Rubecum & Aubetram. Ad Meridiem, magnum & celebre flumen Sequanam; Ad Septentriones, latissimos pratorum campos, & montes præcellsos complures, vestitos olim densissimis syluis, quæ postea, partim, vt magis conspicua esset regio, partim, vt vrbis aer liberior, atque salubrior, partim, vt bello, minus esset insidijs obnoxia, cæse, ac deiectæ fuerunt. Quod ad mercatum attinet, fluuij commoditas, eiusq; alueus maximarum nauium capax, tum maris propinquitas, eū ita facilē & copiosum reddiderunt, vt nulla hodiè Europæ vrbs, frequentiore habeat mercatorum numerū, nec ciues negotiationis vel terra, vel mari magis peritos, nō etiam longius mercimoniorum gratia proficiscentes, siue in occidentem, siue vltra æquatores ad ipsos vsque Indos. Non alibi optimorum gubernatorum & nauarum maior copia. Et certè artes marinas Gallonormanni, propemodum habent naturales, tum ob maris vicinitatem, tum ob diutinam eius rei exercitationem, quam veluti hæreditariam à Noruegis & Normannis à Scandinauia egressis, acceperunt. Sunt, qui dicant, vrbem hanc olim sudibus tantum, & palis conclusam fuisse, sed, cum Cæsar eam videret Romanorum conatib. oportunam, cinxisse muris, præsidioq; muniuisse, propugnaculum autem deiecisse in morte, cui modò D. Catharinæ nomen est, collocatum. Quod, an verum, in medio examinandum relinquitur. Eius certè neque Dionis, neq; Cæsaris scripta meminerunt. Id tamen verisimile, vrbem hanc, Romanorum tempore non tantam fuisse, quam hodie videmus. Nunquam enim Cæsar eius amplitudinem, potestatem, splendorem, silentio præterisset, vt æquè huius vrbs expugnationem laudi sibi duceret, atque aliarum Galliæ vrbiū, quarum tum erat fama insignis. Creuit autem huius vrbs amplitudo & dignitas, posteaquam & sub Regum Franciæ potestate fuit, & Nortmanniæ Duces in ea sedem posuerūt, compluribus aucta splendidis ædificijs, quorum Archiepiscopi domus, & S. Ouentij Cœnobium, loco totius vrbs pulcherrimo, situm, in quo & pulcherrimus sit Orientis prospectus, & horti, mirum in modum amœni. Itaq; Reges ferè Galliæ, quoties Rhotomagum adeunt, illic excipiuntur. Est autem hoc cœnobium, à Clotario Rege conditum, cum antea non aliud esset, quàm Ecclesia, sub Apostolorum Petri & Pauli nominibus extra vrbs muros consecrata. Inter substructiones, quas Rhotomagi splendore, atq; maiestate videas excellentes, est ponsille in Sequana, eo artificio cōstructus, vt vno hoc opere artifex, ingenij sui atq; artis præstantiam vel maximè omnibus probet, cum alioqui res factu difficillima fuerit, ob maris fluxum, & refluxum, bis die quoque accidentem. Est tamen huius pontis substructio, ex lapide quadrato, maximis, crassissimisque columnis, & arcibus pulcherrimis firmata, altitudine prorsus, & latitudine insigni. Alterum huius vrbs admiratione dignum opus est, Ecclesia Cathedralis, virginis Dei matris nomine, dicata, in qua nihil omninò desiderari potest, quod ad architectonicæ artis absolutissimam rationem exigi queat. Ea tribus veluti armata est amplissimis turribus, quarum prima, quæ antiquissima, sancti Romani, Rhotomagensium Archiepiscopi turris vocatur; Secunda, nomen habet butyracæ, quod ædificata fuerit stipibus corrogatis à populo, ad obtinendum quadragenarij ieiunij tempore, butyri vsum: Tertia, constructa est ad ipsum Ecclesiæ vestibulum, eleganti, atque admirando artificio, quemadmodum & reliquum Ecclesiæ corpus. Historia Ecclesiastica Nortmanniæ, primum Euangelij nuncium atque Apostolum, sanctum Nicasium agnoscit, non illum Romanensem, sed alium, qui duobus sæculis, & amplius antecesserit, missus à D. Clemente in Galliam, & deinde plantato Rhotomagi, alijsque locis, Euangelio, Gagnij ab ethnicis cæsus. Hunc, ob Euangelij persequutiones, aliquot sæculis nemo Rhotomagi sequutus est episcopus. interiectis centum circiter, & triginta annis, Successit Melo, à Xisto, primo eius nominis Pontifice, missus, quo tempore Valerianus imperabat, & Carthagine, Cyprianus Ecclesiæ præerat. Multi horum præsum impetrarunt suæ Ecclesiæ à Franciæ Regibus multa, eaq; insignia priuilegia, inter quæ illud primum, quod à Dagoberto Rege eius Ecclesiæ canonicis concessum, ab alijs etiam regibus ordine succedentibus confirmatum fuit, vt quotannis, Ascensionis Christi die, Canonici liberare possint captiuorum vnum aliquem damnationi proximum, & quidem eum, quem ex omnibus talem deligere voluerint. Est autem hæc eius liberationis series, Denunciatione à Canonicis Senatui facta, vt quem petunt captiuum ipsis tradat, eum acceptum, Canonici deducunt in D. Romani Sacellum, vbi peccatorum exomologesin facit. Post capsulam prædiuitem, qua D. Romani ossa continentur, à quindecim, aut sedecim hominibus adiutus, in humeros gestandam suscipit, atq; in pompa solenni totius ordinis Ecclesiastici, qua simul omnes proferuntur sacræ vrbs reliquiæ, ad Ecclesiam defert D. Mariæ titulo sacram. Absoluto sacro, deducitur idem ad D. Romani præfectum, qui optimè ipsum habens, eo etiam vesperi in cœnam adhibet, eique lectum ad quietem præbet commodissimum. Eo, postridie ad Canonicorum Collegium deducto, ipsorum quispiam ei recenset, quàm turpiter antea, & sceleratè vitam egerit, atque vt eam melius deinceps instituat, hortatur. Eo facto, liberatur facinorosus ille, & si qui etiam cum ipso in eiusdem facinoris partem aut societatem venerunt. Illud interim verum, si quis facinore lesus sit, oportere illi primum satisfieri. Est autem huius priuilegij cōcessi causa, quod D. Romani tempore in sylua ad alteram Sequanæ ripam, immani magnitudine serpens, damna vrbs ciuibus plurima inferret, aquam tranans, & pecora cuiusque generis deuorans, quin & homines frequenter, quoties non aliud ad explendam ingluuiem inueniret. D. Romanus, Dei numine confusus, ciues adit, promittitque, si qui velint se adiungere socios, liberatum se regionem ab hoc monstro. Cum nemo omnium auderet sequi, petijt duos sibi dari facinorosos homines in vincula coniectos, his facile impetratis, cum eis serpenti obuiam pergit, vno latrone, altero fure. Fur, in fugam se coniecit, Latro Deo confidens, & Episcopi virtute & sanctimonia fretus, vnà cum eo perstitit. Ibi D. Romanus eam, qua indutus erat, sacram stolam, in serpentis collum implicuit, ita verò ligatum serpentem, latroni tradidit pertrahendum, & cum ad aræ medium peruenisset, iussit confixum in terram monstrum exuri, & exusti cineres, in confluentem proijci. Facinorosus ille, qui cum Episcopo perseuerarat, à Senatu absolutus fuit. Post D. Romani autem mortem, cum Ouentius ei successisset, opera Dei admiratus, ne tam insignis facti memoriam intercideret pateretur, impetrauit à Dagoberto Rege, cui rem totam exposuerat, quod superius enarratum est, priuilegium, quod certè vel solum, rei gestæ veritatem satis ostendit, cum etiam ipsum Senatus iudicium ei cedat, & rei à tot iam sæculis gestæ recordatione, iustitiæ seueritatem remittat, & neq; Rex, neq; Dux ab eo tempore successerit, qui non & priuilegium, & natam ex priuilegio consuetudinem approbarit.

RHOTOMAGVS, Galliae Lugdunensis
 ad Sequanam flu. Opp. vulgo Rouen.



- | | | |
|---------------------|-------------------------------|---------------------|
| A. Nôtre Dame. | N. Les Carmes. | e. Rue S. Denis. |
| B. Palais du Roy. | O. S. Martin sur Renelle. | f. Rue de la grosse |
| C. Le Château. | P. Vieux marché. | hottalle. |
| D. Le Vieux Palais. | Q. Neuf marché. | g. Ganterie. |
| E. L'horloge. | R. Marché aux Veaux. | h. Rue S. Yvê. |
| F. S. Maclou. | S. Nôtre Dame de la Renelle. | i. Les cosmiers. |
| G. S. Lo. | T. Vieille tour grand marché. | k. Rue S. Godard. |
| H. S. Ouen. | X. Pont de Robec. | l. Rue d'Escoffe. |
| I. La Court Ouen. | a. Grand rue du pont. | m. R. Joye-marre. |
| K. S. Croix. | b. Rue cauchoffe. | n. La mare quere. |
| L. S. Marc. | c. Rue Martin Ville. | o. Croix de pierre. |
| M. Les Cordeliers. | d. Rue de la Magdelaine. | p. Rue S. Nicolas. |



CHARTRES.



QVAE regio Parisijs ad occidentem proximior est, Gallorum olim Philosophis inhabitata dicitur, ijs, qui Druydes adpellantur; Carnutum inquam Regio, mirū in modum ampla, multos vicos, vrbes multas, copiosas, & diuites complexa, quarum Autricum Cæsari ea est, quam hodie Chartres, Latini Carnutum vocant, à Græco nomine *κάρπυον*, quod nucem significat, ob ingentem nucum copiam, quam ea regio producit. Perinde, vt Gallorum sphi eam incolentes regionem, Druides, vel Dryides, à nomine *δρυς* nuncupabantur, quercum significante, propter ingentes eiusmodi arborū sylvas, quarum hodieq; insignis in ea regione copia sit. Hæc autem vrbs à Gallorum sapientibus condita, conuentibus agendis vsui erat. Nam omne paulò maioris momenti negocium, à Druidibus transigebatur, in ea vrbe atq; regione sedes habentibus; neque recte quicquam, nisi eorum auctoritate factum, habebatur. Quæ res, nonnullis occasionem dedit, vt existimarent Chartres, Gallico vocabulo, dictam urbem, quòd illic carceribus atq; supplicijs coercerentur, qui leges transgressi essent, quasi à nomine carcer, Gallici vocabuli origo deducta fuerit. Verum hanc sententiam multi non sine causa rejciunt. Ager huius oppidi, quemadmodum & vniuersum Carnuticum solum, nulli reliquæ Galliaë parti, fertilitate vel amœnitate cedit, vt, quod omni genere frumenti, pecoris, & fructuum abundans, vitibus etiam & vino minimè destituatur, hortorum autem fertilitate & pulchritudine, mirum in modum excellat. Vicino oppido, agri perluuntur exiguo fluuio, qui à Perchijs ortus, in ipsam urbem se infundit, & ad extremum apud Luparias, maioribus Sequanaë vndis permiscetur. Præcipua vrbs Ecclesia B. Virgini Mariae est nuncupata, quæ ex supersticioso gentilium ritu, in sacrum & castum veræ religionis vsu est conuersa (de quo plura in Indice) Episcopus tum primus vrbs Aduentinus est institutus, cuius pædagogia Carnotenses, militiæ Christianæ primū nomina dederunt. Nec multo post, eius loci Christiani persequutionem passi sunt, à Quirino Galliaë proconsole, qui ad Cornutos veniens, magnum Christianorum numerum in puteum quendam profundissimum præcipitari iussit, qui hodie Sanctorum fortium puteus, dicitur, & in Ecclesia crypta visitur. Hac autem persequutione sedata, S. Lubinus, decimus sextus Episcopus, diocesis episcopæ Carnutenis limites constituit: Quo etiam tempore, ad instar 72. discipulorum Christi, instituti fuerunt ad Aedem B. Mariae pari numero canonici, atq; eorum alimoniam, præter id, quod antea possidebant, totidē pagi, seu vici attributi. Horum census annui, à quatuor præfectis, seu, vt vocant, Præpositis curabantur, sed eo iam cessante numero canonicorum, quisq; suas habet villas, & census attributos, manente nihilominus in ea Ecclesia Præpositorum dignitate. Gancellino deinde, quadragesimo septimo episcopo, cum hæc ciuitas restituta esset (à Nortmannis namq; grauius afflicta deformataq; fuerat) & Carolus simplex in Gallia regnaret, Nortmanni Rollono Duce, obsessos in hac vrbe eo redegerunt, vt neminem omninò haberent, ad quem confugerent, præter Deum & Virginem matrem, cuius cultui tot iam seculis addita ciuitas esset. Itaq; Gancellinus, B. Virginis subuculam, quæ præcipuà illic pietate adseruaretur, acceptam, de lancea suspendit, & cum ea, militum cateruis stipatus, contra Rollonum egressus est. Ille, vi numinis percussus, relicta obsidione, in fugam se coniecit, persequentibus Christianis, ad illud vsque pratum, cui ab eo euentu nomen est, iuxta Gallicum idioma, Prati retrocessionum. Itaque Rollonus ille, factus deinde Christianus, cum à Galliaë Rege, ducatus titulo, Neustriam, (quæ postea Normandia dicta fuit) accepisset, Ecclesiam Cornutensem, multis ornauit, auxitq; beneficijs. Anno partē salutis M. D. LXVII. Carnotum à patriæ perturbatoribus obsessum, & virtute Lignerij fortiter defensum, dies, quo ab obsidione repulsi hostes, inter festos consecratus. Ad mœniorum partem, hostium machinis prostratam, ac deinde restauratam, hoc carmè in lapide incisum visitur.

*Dum noua Relligio studia in contraria cecis
Gallorum mentes agit; & bello omnia miscet,
Carnutum premitur magna obsidione, globisq;
Machina sulphureis oppugnat mœnia, quæ nunc
Sarta & recta vides, salua incolumisq; remansit*

*Vrbs, duce Lignerio, populi curaq; fidelis,
Atq; manu parua numerosum reppulit agmen.
Quàm pro Rege suo, patriaq; arisq; sociisq;
Sic pulchrum pugnare, atq; hosti cedere nunquam,
Exemplo hoc discant nati, seriq; nepotes.*

CHASTEAVDVNUM.



Regionis Dunensium in Gallia, Chasteaudunum, siue Castrodunum, caput est, dictum olim Gallorum, sed corrupto vocabulo, Rubeclara, quasi urbem claram dicas. Litterarum enim Metathesi à Gallis facta, id nominis habuit, quòd vrbs longe conspicua esset, condita in rupe multum eminente, ad quam non sanè facilis patet accessus, ne à Septentrionibus quidem, qua parte regio latissimè se oculis ostendit. Dicta itaque fuit hæc vrbs castrum, hoc est, propugnaculum Dunensium, quòd scilicet bellorum temporibus eò confugerent, nec hostibus locus ille, nisi qua parte ad Beaufiorum, (vt dicuntur) regionem vergit, accessum relinquat. Est autem Dunum prisca Gallorum linguæ vocabulum, collem, aut rupem sonans. Et vrbes, quarum nominibus huius vocabuli accessio facta est, ipsa statim adpellatione situm indicabant montosum & asperum, accessuque difficilem. Vrbs igitur hæc in rupe veluti pensilis est, eo planè artificio condita, vt dicas hirundinei nidi ad modum in sublimi fixam, munita insuper atq; ornata turri amplissima, quo propugnaculo vtuntur ciues & vrbs accolæ, quoties bello vrgentur. Hanc urbem longe olim, quàm modò ampliorem fuisse, testantur, quæ hodie in suburbijs adparent, templorum ruine, ijs factæ bellis, quæ Dunenses cum finitimis gesserunt, vt in antiquioribus Galliaë annalibus videre est, à primis statim Francici regni temporibus. Vt cunq; autem multas bello clades acceperit, plurimæ in ea, eiusq; suburbijs extant augustissimæ Ecclesiarum Basilicæ. Imprimis, quæ D. Magdalena dicitur, à Carolo Magno condita: Ad quam & cœnobium est, & curialis Parœcia. Diui rursum Andreae, vbi Canonicorum cœtus, amplo admodum censu: Diuorum Petri & Lubini Parœcia. Præterea, cui S. Sacelli nomen, & quæ D. Rochi titulo consecrata est, vtraq; à Dunensium Comitibus condite, cum Preposito, Cantore, & Canonicorum cœtu amplissimo. Est illic & domus, quæ Dei Pandocheium vocari potest, à ciuibus condita, receptandis morbo affectis, puerisq; expositis, & à genitoribus desertis. Suburbia verò quater ipsa vrbe maiora, duodecim habent Ecclesiarum Basilicas magnifice constructas, atq; in his & mercatus, ad magnam, eò venientium commoditatem, celebrantur, & ædes sunt multo, quàm in vrbe splendidiores, maiorq; incolarum frequentia. Peringentes autem in suburbijs hisce ruinae, urbem hanc multo olim amplio-rem fuisse, satis manifestè declarant. Id ciuibus causam dedit, vt magna ruinarum parte restaurata, pro vrbs insignibus, tres semilunulas acceperint, addita inscriptione, **EXTINCTA REVIVISCO.** Quo significatum volunt, se urbem restituisse, quæ olim vastata, indies maius capiat rerum incrementum.




Auricum, Ptolemeo in Gallia
 Luodunensi Vrbs; vulgo, cum
 Villa nouano, CHARTRES.



CHASTEAVDUNVM, Comitatus vulgo
 Dunoyis in Gallia Oppidum primum.





GRATIANOPOLIS.



RATIANOPOLIS, inter Galliarum Narbonensis vrbes antiquissimas, Et Allobrogum populis, nulla non ætate adscripta, non semper id nominis habuit, quippe, olim Accusio, vel; Accusiorum Colonia, vocata, Caballoniorum in Prouincia Colonia fuit. Nam & ita Ptolemæo in sua Geographia dicitur, & eodem ei permanente nomine, vsque ad Diocletiani, & Maximini tempora. quamobrem Cularona exinde vocata fuerit, nullam rationem accepi. Post autem imperante Gratiano, cum ampliore murorum circuitu eius pomœria non nihil prolata essent, à Gratiano eius rei auctore, Romanis primum Gratianopolis, Gallis deinde corrupto vocabulo, Grenoble, appellata fuit. Itaque, non ipse Gratianus, (vt aliqui falso existimant,) hanc urbem condidit, sed quam restauratam ampliasset, nomen ab sese habere voluit, Gallicæ quidem Gentis, apud quam Ambiani Romanorum Imperator factus esset, studiosus. Post autem Anno Christi CCC. LXXVII. Lugduni, à Maximino Tyranno, cæsus. Cæterum, ante Gratianum Maximianus à Diocletiano in Galliam missus, vt subortos illic tumultus componeret, hanc urbem ita communierat, vt Romanorum veluti propugnaculum quoddam aduersus Gallorum vim esset. Portas autem exstruxerat duas ex lapide quadrato insignes, opere scalptorio per quam subtili, coagmentatione tam solida, vt ne hodie quidem illarum pulchritudinem, vlla in parte, vetustatis iniuria læsam appareat. Harum altera, quod ad viam spectaret, quæ Romam ducit, appellabatur Romana Iouia. Altera, per quam milites in Prouinciam grassatum prodibant, Viennensis Herculanae nomen habebat. Hæc Maximiano, qui sibi pari cum Hercule felicitate blandiens, Hercules dici vellet, Illa, Diocletiano, qui rebus gestis, parem se Ioui crederet, dicata. Id hodieque scalptæ illæ inscriptiones docent, quas non Viennæ, (vt somniauit Pomponius Letus) sed Gratianopoli videas: Alteram quidem in porta, quæ ad Meridiem pertinet, & Romana dicitur:

DD. NN. IMPP. CAES. GAIUS AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS PP. INVICTVS,
Augustus, & Imp. Cæsar. M. Aurel. Valerius Maximianus, pius, felix, inuictus, Augustus. muris Cularonensibus, cum interioribus ædificijs prouidentia sua institutis atque perfectis, portam Romanam Iouiam vocari iusserunt.



Alteram verò in porta, qua Viennam itur, quæque ad Septentriones vergit.

DD. NN. IMPP. CAES. GAIUS AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS PP. INVICTVS,
Augustus, & Imp. Cæsar Marc. Aurel. Valerius Maximianus, pius, felix, inuictus, Augustus. muris Cularonensibus, cum interioribus ædificijs prouidentia sua institutis atque perfectis, portam Viennensem Herculæam vocari iusserunt.

Sed nulla Maximiani tanti momenti Cularonæ fuit substructio, quin ei vrbi Gratianus, ampliori ab se factæ, veteri abolito nomine, suum dare voluerit. Cumque is orthodoxæ religionis Princeps, Gallis etiam charus esset, facile in ea vrbe nominis ac virtutis æternam memoriam assequutus est. Antiqua eius forma longior est, quam rotundior, in angulum desinens acutum, ac tantummodo oualis. Planiciæ occupat, quæ paulatim à montium radicibus ad Orientem extensa, ita pingue habet solum, aut nulla omnino regio, fertilitate ipsam vincat. Sed neque tantum ab hac parte regio fructuosa est. Quocumque enim oculos vertas, amœnitas, deliciae, & rerum omnium copia sese offert. Isara, ex altis Alpium iugis ab Oriente lapsus, hanc perluit, qui magno impetu, per Centrones & Viconcios (Tarentasios hodie, & Moriennos vocant) delatus, irrigata Delphinatum regione, in Rhodanum se, intra Tinum, & Valenciam confundit, quo loco Fabius olim Maximus, Allobrogas memorabili prelio superauit. Ad Septentrionem in Isara, pons stratus, omnium, quos vsquam videas, pulcherrimus, ad suburbia, quæ D. Laurentij dicuntur, pertinens. Nec longè, fodinæ lapideæ, ex quibus lapides ad omnem ciuitatis usum eruuntur. Ad Meridiem præterlabens Dracus, torrens ita morosus, & vehemens, vt non raro, limosis inundationibus vicinos agros deformet, nec villo aggere coerceri possit, non longè à Ciuitate in Rhodanum excipitur. Qui ab hoc torrente longius absunt agri, latissimis extenduntur campis, omni fructuum genere onustis, & aspectui perpetuò quodam virore, fontiumque, ac riuorum scaturigine, mirum in modum blandientibus. Franciscus, eius nominis Rex Gallorum primus, Gratiani sequutus exemplum, constituerat hanc Ciuitatem maiore murorum ambitu concludere, & iam fundamenta, quæ hodie quoque videre liceat, iacta erant, sed pendet opus interruptum, nullam ciuibus inuenientibus rationem, qua tanti momenti rem cœptam, absoluant. Gratianopolis sedem habet Episcopalem, Viennensi Archiepiscopo subditam. Habet & Curiam iudicialem primariam, ad explicandas maioris momenti causas, quæ apud inferiores Iudices decidi non possunt: In qua viri semper sunt cum scientia præstantissimi, tum iustitia & vitæ integritate summi, qui & patriæ iura conferuent, & libertatem tueantur. Denique, ad cætera huius ciuitatis ornamenta accedit, rationum ærarij cognitio.

ROMANVM OPP.

ROMANVM Oppidum, ad ipsum Isaram situm habet, eorum, quæ in decliuore Delphinatum regione posita, ob pulchritudinem celebrantur, non minimum: Inter ea etiam, quæ diuitiarum splendore præcellunt, adscriptum. Cuius nomen testatur, vel à Romanis conditum, vel ab ijs, qui abs vrbe Romana nomen eidare voluerunt.



AVGVSTODVNVM.



AVGVSTODVNVM, si, vt in Indice, ex aliorum disputatur sententia, vetus Heduarum Bibracte, id cum Cæsare populosum, & magnitudine præcipuum adpellabimus, situm ad radices montium, quibus perinde vt ijs, qui apud Salasios, nomen Cenijs, oppidum in Burgundia admodum ædificijs vacuum, præter quam eo loci, vbi arx, & D. Lazari templum, cui etiamnum, quòd illic Martis esset campus, à Marte, lingua vernacula nomen. Complures magnificas habet basilicas, quarum quæ præcipua, S. Nazarij nomen habet: Is, à Pontifice Romano sub annum Christi septuagesimum secundum baptizatus, venit in Galliam, ibique Celsum baptizauit, & cum eo deinde Mediolani palmam martyrij tulit. Augustodunenses non immemores, quod is primus salutis doctrinam ipsis annunciaffet, Augustalem eius nomine Basilicam dedicarunt, quæ nunc in D. Lazari conuersa Ecclesiam, reliquis in ea vrbe templis, splendore ac maiestate præcellit. Est autem hic Lazarus B. Magdalenzæ frater, qui à Christo suscitatus ad vitam, post Christi ad cælos ascensionem, in Galliam, Euangelij propagator, venit. In ea Basilica corporis eius reliquæ positæ, per quàm religiosè adseruantur. Apud hanc, & alia, Canoniorum cœtu insignis, virginis Deiparæ nomine dicata, quam Raulinus Burgundiæ Cancellarius condidit. Habent quoque in hac vrbe mendicantem professi Ascetæ suas ecclesias. Et præter hæc, duo sunt monasteria, quorum alterum ad D. Symphoriani memoriam, ab Euphronio Augustodunensi Episcopo conditum in eo cœmiterio, cuius meminit Turonensis Gregorius, qui & D. Symphoriani vitam narrat. In eo monasterio, quod & ordinis Augustiniani prioratum habet, recondita sunt corpora Symphoriani, Faustæ, & Augustæ, Symphoriani parentum, qui perinde omnes Christi Euangelium, fuso sanguine, fortiter asseruerunt. Alterum autem Monasterium, Abbatiam habens D. Martini nomine, à Brunichilde olim regina conditum, ipsius etiam adseruat corpus. Sanctimonialium præterea virginum duo Asceteria, vnum ad S. Andocheum, quod nonnulli existimant auctorem habuisse Carolum Magnum, Petro sancto Iuliano, quòd nusquam id veteres codicilli, vel vltimarum voluntatum instrumenta indicent, negante. Alterum à S. Iohanne, cui vulgo Magni cognomen, adpellatum, existimatur id esse, quod à Brunichilde regina extructum, Dei Seruarum dictum fuerit, vel certe à Cabilloni Principib. conditum, Sanctimonialium pijs exercitijs dicatum fuisse. Parochiales ecclesias, breuitatis causa omitto. Episcopus Augustodunensis primus est episcoporum, qui Lugdunensi Episcopo subordinatam potestatem habent. Quod ad ciuilem Reipub. statum attinet, vnus olim fuit, qui de causis tum ciuilibus, tum criminalibus cognoscens, ab officio, vt lingua tum gentis erat, Virgius diceretur. Huic magistratui successerunt, qui vulgo Ballisij adpellantur, seu diœcetas, seu nomarchas adpellare malis, in comitem vetus officium, quorum iudicialia tantum potestas fuit, subrogati. Olim Augustoduni Senatus quidam erat Druidum, atque hodie locus ei Senatui dicatur, ab ipsis Druidibus, vulgato sermone, à Latina adpellatione nonnihil deflexo, Mons Druide vocatur. Apud ipsum quoque Augustodunum visitur & alius locus, Latinorum adpellatione Mons Iouis dictus, vbi vsque in hanc diem, familia illustis est Montijouiorum. Quæ autem vrbis pars, à reliqua seclusa, Gallica voce, sed corrupta, Marchault, modo vocatur, Martis campus olim erat, locus videlicet Martis cultui sacer. Et, quod hodie Genotoie eius vrbis incolis dicitur, quod eo loco Iani templum esset, Iani tectum adpellari debuit. Denique Augustodunum olim & suum habebat Capitolium, & varia Diuorum templa, quæ post ruinas illas Bibractenses restaurata, Barbarorum deinde impresionibus vastata sunt, & abolita.


NOVIODVNVM.



NOVIODVNVM, Ducatus Niuerniæ oppidum præcipuum, ad Ligerim flumen, nomen consequutum ex situ. Dunum namque, antiqua Gallorum lingua, montem, aut locum editiorem significat. Monticulum namque occupat, in faucibus, quibus Niuernis flumen in Ligerim sese exonerat. Vnde Nouioduni videtur adpellatio nata. Est autem oppidum omni ex parte mœnibus cinctum firmissimis, & cum amplissimis turribus, tum fossis profundissimis egregie munitum, Ad meridiem, Ligeris mœnia subluit. In quo flumine pons est, pulcherrimè quadrato lapide constructus, viginti habens arcus. Niuernis ab Oriente circumfluit: Ab alijs partibus frequetes sunt fontes, ex quibus etiam in fossas aquæ deduci possunt. Vt autem oppidum ipsum munitius sit, minusque insidijs obnoxium, nulla ipsi suburbia adiacent, omnesque substructiones, mœniorum ambitu continentur. Ager, pascuis syluisque abundat. Itaque populus non aliud fere, quam pecudum alturam curat, & quod nec vites colat, nec agros, tenuis est, parumque laute viuit. Alioqui regio fodinis abundat, argenti quidem ad D. Leonardi, quæ hocce tempore vsui esse desierunt, ferri aut, quod lingua illic è syluis large suppetit, quodque lapis quidam ad fouendum ignem idoneus, non longè ab vrbe effoditur. Ad hæc lapis ad structuras idoneus, quo non alius in tota ditione Francica nobilior, duobus à Nouioduno milliaribus, inuenitur, & facilè per Ligerim, Aureliam, atque alias Galliæ vrbes deportatur. Sed ipsum nunc oppidum ingrediamur, in quo arx est, & Prætorium Principum Niuernensium, olim Comitum, hodie Ducum, iuxta primariam Ecclesiam. Quod ad statum autem Ecclesiasticum attinet, Nouiodunum modo ciuitas est, (vt Pontificij iuris interpretes ciuitates appellant vrbes Episcopæo decoratas) Senonensium Archiepiscopo, tanquam Metropolitano subdita. Quanquam autem episcopis antiquioribus nõ adnumeretur in catalogum redactis, in eam tamen dignitatem subuecta fuit, sub annum reddite à Christo salutis, sexcentesimo, quo tempore Gregorius cognomento Magnus, Pontificatum Romæ gerebat, primusque huius vrbis Episcopus fuit D. Aregius, & Episcopi diœcesis partim ex Augustodunensi, partim ex Biturigum Episcopæo confecta. Primarium vrbis templum, initio D. Geruasij nomine dicatum, postea, quo affectu erat Carolus Caluus erga D. Cyrum martyrem, cum eius reliquias ibi condidisset, ex Regis voluntate D. Cyri nomen tulit. Est etiam in hac ciuitate monachorum Augustiniani ordinis cœnobium, nomine Diui Martini, & aliud virginum, D. Mariæ titulo consecratum, Duo itidem, vt vocant, Prioratus, vnum D. Stephani, alterum Saluatoris nomine. Fratrum item Dominicani & Franciscani ordinis cœnobia.

Ad hæc sacrorum vndecim curiæ seu Parœciæ, vt hinc facilè intelligi queat. Nouiodunum elegantem & copiosam esse urbem, eiufque ciues atque Patri-
cios, qui tam multas ædes sacras condiderint atque dota-
rint, religionis fuisse comprimis amantes,
& studiosos.

AVGVSTODVNVM,
Flavia Heduarum, quæ et Hedua, ab Hedorum augurio, qui in aëre visi fuerunt infestis ceruicibus concurrere, vulgo Authu, Burgundia Opp.



NOVIODVNVM, AEduorum
Oppidum apud Casarem lib. de bello Gallico VII. Vigenus, NEVERS indigetat.




LOVANIVM.



LOVANIVM, Brabanticarum vrbiū caput, celebre litterarū ac artium emporium, à Ioanne Brabantiae Duce fundatū, circa annum Christi M. CCCC. XXII. Ciuitas est amplitudine tam spatiosa, vt in circuitu habere dicatur intra mœnia milliaria Italica quatuor, Cœli & aëris benignitate, nulli aliarum cædens. Hic inter muros libera prata, vineæ, horti spatiosi, agri, pomaria, campi, dumī, saltus, pascua, parua syluulæ, parua nemuscula. Nomen habet, non à laudando, vt quidam prodiderunt: nō à Leuacis, vt alij sunt suspicati, eò, quòd hi Neruiorum, nō Eburonum fuerint clientes, sed, à situ vrbis, qui talis est, vt mœnia vetusta, quæ illa tulit ætas, fuerūtq; firmissima, ex albo nimirum lapide, ad normam constructa, ex alto descendant ad loca humilia, & aquis obnoxia, quas Tila fluuius maior, & Vorta, riuulus, siue torrens, extra ripas suas euomere quàm frequentissimè solent, & longè lateq; omnes campos & intra muros, & extra, in stagna, & paludes permutarunt. Altum autem illud, è quo descendunt, Lo vocatur; è quo mons ascendit syluosus, à Lo cognominatus, Lobtech, id est, altioris loci mons. Iam stagna omnia, & loca aquis exundantia, Brabantico sermone, Ven, dicuntur. Hinc igitur vox composita, Louen, id est, altum locum, & stagnantem complectitur. Nec citra causam de hoc situ nomen fabricarunt, eò, quòd nihil amœnius sit, quàm vtranq; faciem, terram habere. Louaniū certè, & intra vrbe, & in suburbanis, vbiq; campos habet aquis obnoxios, & ijs altiora loca incumbentia, è quibus & colles affurgunt, alij vitibus cõsiti, alij Syluis horridi, alij pomarijs vberes, alij per decliua segetibus læti. Sunt hæc quidem, scribit Becanus, primo Auaticorum libro, Louanio & Romæ cõmunia, sed sic, vt, si meo iudicio sententia ferenda sit, longe lateq; loci amœnitate Roma superetur, atque vincatur à Louanio. Nusquam, ita me Phœbus amet, terrarum locus est, qui magis videatur mereri, vt sit sacrū Musarum domicilium. Conferantur omnia, quotquot sunt litterarum Gymnasia, vel in Italia, vel in Hispania, vel in Gallia, vel in Germania, nullum inuenietur, quod huic par dici queat. Vixi Parisijs, Aureliæ, Pictauij, Lugduni, Burdegalæ, & in loco Galliae amœnissimo, Andegauj, vidi Ticinum, Bononiam, Patauiam, Mantuā, Florētiam, Romam & Neapolim, Germaniam partim vidi, partim de auditu cognoui, sed, quæ equidem vidi oppida, nulla sunt Louanio comparanda situs iucunditate, cum tamen viderim præcipua, & inter cætera, Monachum, Augustam, Vlmani, & Coloniam Agrippinam, vt taceam inferiora. In Salamanca, Scholarum magnificentia longe omnibus in Europa præstat Gymnasijs, sed situ, & locorum facie à Louanio superatur. Vallis Olitana extra vrbe non est inamœna, præsertim in Visurgis ripis, & habet duo Collegia, quibusuis ædibus regijs conferenda, sed omnibus inter se comparatis, nihil ad Louanij amœnitatem. Multa, inquit Barlandus, sunt passim toto orbe Christiano Gymnasia, sed in alijs alia videas desiderari. Aureliæ in Gallijs, solæ leges ciuiles, Parisijs Theologia, Ius Canonicum, & sophistica traduntur. Sunt alia quædam scholæ, vbi sola in pretio est Medicina, Louanij omnes scientiæ docentur. Habet hæc vrbs sacras ædes plurimas. Vnam Diui Petri, structura tam eleganti, vt architectorum iudicio, nullam pluribus locis inuenias pari politia. E conspectu templi Apostolici, visitur domus Ciuica operosissima, & quæ non vna re testetur, olim florentissimam vrbe fuisse Louanium. Hanc artificij plenam structuram mirantur Galli, Germani, Britanni, & Itali. Schola Louaniensis vnum habet caput, vnū principem, cui omnes pareant, hunc Rectorem vocant. Cuius officium est ius dicere, priuilegia tueri, & maleficij reos scholasticos pœnis afficere. Cum in publicum prodit, ante eum it Accensus, quem Bedellum, recepto illic vocabulo, appellant; ponè sequuntur famuli. Quantum autem honoris huic dignitati habeatur, hinc apparet, quòd Consules, Magistratus, & Clarissimi quique viri, deniq; omnium dignitatum gradus, academiæ principi affurgant, & decedant è via. Exeunti ad Comitia, quæ certis anni temporibus indici solent, plures accensi anteambulant, singuli manu auratum gestantes baculum, insignia honoris amplissimi. Est hæc semestris dignitas, quemadmodum apud Romanos olim dictatura fuit, sex duntaxat mēsum. Sunt & alia quædam Louanij non indigna spectatu loca. Xenodochium amplissimum, vbi nunquā non assunt ægrotis mulierculæ, solatijs refouentes singulos, atq; adferentes, quod cuiq; è valetudine esse constiterit. Est alio loco digna diuis, digna principe domus, quam extruendam curauit summus Pontifex Hadrianus sextus, cum adhuc in minoribus ageret. Intra mœnia visitur & Cœnobium Carthusianorum, loco, ab omni tumultu, ab omni frequentia semoto, ita, vt nec eremi solitudinem in vrbe magnopere desiderent monachi. Hoc ædificio nil ex ea familia vidisse se quicquam splendidius, ingenuè fatentur quiuis exteri. Ad muros vrbis, qua Mechliniam itur, arx est insigni vetustate, & ad otium rerumq; urbanarum vacationem principibus accommodata. Eodem loco in monte templū est Baptistæ sacrū. E regione arcis, cuius modo cõmemini, turris est in ipso muro ex candido lapide, eaq; altitudine, vt inde videri sereno cælo Antuerpia possit, octo magnis miliaribus Louanio dissitū oppidum: vulgò Impensa Perdita vocatur hæc turris, quam annis aliquot superioribus fatiscentem Consules magno reficiendam curauerunt. Ager Louaniensis præter frumentū, legumina, triticū, poma, pira, persica, cæteraq; ad corporū alimoniam pertinentia, dat & vinū, cuius ea natura, vt non facillè inebriet, non facillè ad arma protrudat, & luctam Veneriam. Bibant hoc vinum initiati, quos diuinæ litteræ perpetuò sobrios & continentis esse volunt.

LOE VEN.



LOVANIVM, Brabanticarum urbium
 caput, unica Musarum ac præs Cantissi-
 marum artium sedes, optatissimumque
 domicilium




FOL. 101

MACHLINIA.



MACHLINIA M, perueterem ac præclaram urbem, excussis tum antiquis, tum nouis auctoribus comperimus priscum nomen adhuc dum seruare. Ea, nõ mal., naturę beneficio, sita, salubri aere imprimis vritur, ceteris omnibus affluit rebus, quę ad hominum consuetudinem sunt necessaria. Mediã secat, perluitq; flumen Delia. Hanc non inepte meditullium vocaueris Brabãtia, Louanio, Bruxella, Antuerpiaq; tot clarissimis simul urbibus interclusum, & vndiq; quatuor miliaribus distãs, quam te trapolim, qui circumspererit, is iustitiam trianguli formã efficiet. Interim Machlinia, singulari iurisdictione valet, suisq;, & proprijs legibus vritur, quo loci, ante alia notandum hoc est, Grauidæ matres, dũ pariendi instat tempus, relicta vrbe, in interioris Brabantię municipium quodpiã se auferunt, inibi onerosæ alui pondus deposituræ, eo consilio, vt liberi in partem immunitatum Brabantinarũ, itidem veniant. Vrbs alioqui per se, non tantum adificiorum tã priuatorum, quàm publicorum descriptione, nobilis, verum etiam operibus molibusq; firmissima existit, eoq; magis, quod, dum supra caput est hostis, patefactis ostijs, viciniam omnẽ diffusis aquis, instar vasti lacus, ciues complere soleant, atq; hoc pacto hostem intercludant. Cunctis autem urbanis operib; splẽdore, artificio, structuraq; antecellit Basilica D. Rumberto dicata, cui vasta, & præalta imminet turris, qua in speculæ loco, ad remotissimarum cum ciuitatum, tum amœnissimarum circumstantium possessionum prospectum, vtuntur. Secundum autẽ cum dignitatis, tum magnificentię locum illic obtinẽt Septa Pizemburgica, in quibus commorantur Teutonico ex illo ordine procreati religiosi milites. Sed huic vrbi dies ille septimus ante idus Sextiles, exeunte anno M. D. XLVI. funestus extitit, hoc ferẽ initio. Cum horrenda tempestas cęli esset orta, ecce vasta turris, portæ Arenariæ vicina, qua maxima pulueris illius nitrati vis asseruabatur, fulminis iactu non modò conflagrauit, verũ etiam à fundamentis frustulatim disiecta, lacerata, reuulsaq; est, vt ne vestigium quidem vllum prioris fabricæ superesset: quodq; magis admirẽre, subitum istud, & inopinatum incendium, urbanam fossam, aquæ plenam, altam, & sexcentis amplius passibus latam, ex ea parte, non tantum siccauit, sed etiam arefecit, piscibus partim coctis, partim verò tostis, qua; versus, remotissimẽ sparsis. Quinetiam mœnia, flamma deflagrata, ac eo vterius. Circumstantium domorum parietes, ter centenum amplius passuũ interuallo, labefactati, aut deformati, vacillare, simulq; vno & eodem temporis puncto, malum insolens, manare non solum per urbẽ, verum etiam suburbanã viciniam transcendere. At ne dum modus infortunio positus. quantopere enim lapidum iactus, quo instar tonitru, cęlum contremuit, totam ciuitatem permiscuerit, quantumq; ruinarum passim ediderit, nisi ipse præsensq; viderit, nõ facile credat vnusquisq;, & multi etiam num superant oculati testes. Huc accedit hominum magna clades, quorum amplius ducẽtos perijisse, ac triplo plures vulneratos, accepimus à fide dignis ciuib; Fulgurum, ac tonitruũ tanta vis fuit, vt vsq; ab Antuerpia Bruxellaq; sonus iste miserabilis, multis credentibus terræmotum in vicinitate factum, audiretur. Indigenæ verò ipsi, vsq; aliquo videre videntur cælum ruere, ac vniuersum mundum inuerti, quippe, cum inter ceteros quidam in hypogeo concamerato, sed labefactato, triduo in ediam ferens, semisepultus iaceret, ruderibusq; fortẽ latitans, à circumstantibus extraheretur, attonito consternatoq; homini, animo similis, sciscitatus est; Num qua vniuersi superest species? Quod igitur Machlinia, de cœlo tacta, incredibilem suarum rerum iacturã fecerit, id infelicitatis eius fuit: quod verò deinceps non ex ea tantũ parte instaurata, sed multis præterea locis ornata, honoris est hoc eiusdem. Vbi septemdecim opificum collegia, exceptis cohærentijs, ad Senatũ admittuntur, quoties de re aliqua graui deliberatio suscipitur, quorũ præcise sex, tantum apud suos gratia & auctoritate valent, (Hi sunt Pictores, Ichthyopolæ, Infectores, Coriarij, Ceruistiarij, ac Lanij) vt ex ijs quotannis singuli legantur Senatores. Itaq; summus magistratus vniuerse duodecim, sex patricijs, ac totidem plebæis constat Senatorib; Lanificij laus, id quod pace ceterorũ Belgarum dictum sit, Machliniensibus, in quantum diligentissima perquisitione didicimus, prima tribuitur, quod tamen illic olim, sine comparatione, multo fuit huberius, & copiosius exercitium. Intra eius enim territoriu, supra ter mille ducenas rexrinas extitisse, cõpertissimum habemus; Quippe, legimus, quemadmodũ olim textores, tribus multitudine freti, vsq; ad eò insolescere, animis efferris, neq; se continere, vt coorto de repente tumultu, & correptis armis, ceteros ciues inuaderẽt, sed tumultuario isto prælio inferiores, multos suorum amiserunt, itaq; temeritatis, & superbix pœnam, iure merito luerũt, nec contentus Senatus, immunitatum, munerumq; prærogatiua, huiusmodi auctores turbarum priuauit, à quo vsq; tempore, & numero opificum, & existimatione sunt diminuti, licet ad hunc diem textorum collegium audiat, nunc amplum, nunc omnium reliquorum primum. Hęc vrbs vti telarum, & quidem optimarum, ita cortinarum multiplicium plena est. Tormẽta, tintinnabula, denique instrumenta, & vasa quæuis, ambigam, an vsque terrarum maiore artificio, dexterius, faciliusq; ære conflentur. Reperias hic itidem, omnis generis nauium architectos, & fabricatores. Instructissimum in ea vrbe, ad quosuis casus, rerum dominus conseruat armamentarium, tot tormentis æreis, ac ferreis, tot machinis, bellicisq; instrumentis, puta, nauibus, pontibus, carris, deniq; tanta re castrensi, & militari supellectile affluens, ac postremo tot operarijs, fabrisq; plenum semper, vt spectatoribus admirationem copia pariat. Hęc vrbs, alma nutrix, altrixq; fuit Philippi I. Caroliq; illius ter Max. Imper. Philippi illius Belgarum heri, cum patris, tum aui, quod illic tum temporis, vt plurimum Curia hærebat, cuius amplissimæ Prouinciæ vsuram, dum iam modo dictus Carolus auiã Margaritæ Austriadi, quoad vita frueretur, daret, sedem Machliniæ fixit illa ipsa Herois, quæ etiam in ea vrbe, sui semper cupida, & gratiosa, Anno M. D. XXX. obiit. Beneficiorum verò omnium, quibus olim aliquando ab Hero ornati sunt Machliniensis, par pulcherrimum hoc est: Primum omnium, portatoriorum, quæ in singulas merces iustis locis exiguntur, sunt immunes. Secundò, bona eorum firma, fixaq;, Belgicæ territorio circumscripta, per se libera existunt, nec obligatione sunt obligata (vti ceteræ popularium res) opt. iure prædijs comparanda. Quam immunitatem ex Caroli illius omnium nouissimi Aeduarum Reguli, Belgarumq; domini, gratia ac liberalitate, officijs, studio, opera sunt demeriti. Quod enim eum summa virtute ac fortitudine bello laborantem semper subleuassent, vix vlli alij clientum, aut magis fidere, aut plus tribuere solebat, ac ea propter amplissimum illum Senatũ (vulgò Concilium Regium) illic Anno M. CCCC. LXVIII. instituit, cuius ipse princeps esset, ceteroqui triginta quatuor viralem, puta, Cancellario, cohærentario, binis præsidibus, quatuor equitibus, sex supplicum libellorum magistris, initiatis cõsiliarijs octo, profanis verò duodecim, partim doctoribus, partim prolytis constantem. Hic Senatus, primò rerum Dominum quocũq; is isset, comitabatur, assequebaturq;: absente verò Principe aut hero, Archigrammateus cunctis præerat. Eò autem ab omnis penè Belgicę tribunali bus, ius erat receptitium. Porrò cum vxoris Ioannę beneficio Philippus I. ad amplissimam Hispaniensium, & annexorũ regnorum possessionem vocatus, necessariò transmitteret, eius iussu nouissimẽ, Anno M. D. III. ad eam urbem, in medio propè Belgio sitã, itaq; apprimẽ oportuna, sedeis fixit ille ipse Senatus, eius tamen forma & auctoritate, nec non consiliariorũ numero, antea non nihil immutato, qui vti nunc est, vno Præsidente, sedecim cõsiliarijs, duob; scribis, ab epistolis, siue à secretis octo, & cetera munusculorũ turba. Huc generatim post ciues & tribules, Flãdris. Atrebatib; Hollandinis, Middelburgensib; Namur. tibus, Luceburgensib; Valencinensib; postremò illis, qui litigiosa illa prædia colunt, in Flandriã, Hannoniãq; confinijs collocata (de quorũ iurisdictione ac iudicatu Flãdri & Hãnoniensis valdẽ pertinaciter inter se cõtendunt) ex domestico foro pro uocare, appellareũ licet. Frisij itẽ, occidentem Solẽ versus qui spectant, ac Vltraiectini, paucis ab hinc annis, hũc ipsum agnoscunt Senatũ recognitorẽ ciuiliũ caufarũ, quas ipsi antẽ iudicassent. Hic ex formula prætoris thiasus Torquatorum itẽ sistitur, lites, cõtroversiasq; oēs, tam ciuiles, quã criminosas, semel iudex definit, nulla prouocationis prorogatione aut gratia, stãte interim semper sua curiæ Bruxellana in caufarum recognitione, prærogatiua auctoritate. Illo ipso in foro, in gratiam maxime peregrinorum, etiam Gallicẽ litigatur.



MECHELEN

NITIDISSIMA
 CIVITATIS ME-
 CHLINEENSIS,
 IN MEDITULLI
 O BRABANTIAE
 SITA, EXACTIS
 DELINEATIO.






T H E N A E



THENAE, copiosa, & ampla Brabantiae vrbs, sita ad fluiuium Getam, qui non longe ortum habens, per eam delapsus, vrbs Halenum influit, seseq; in Demeram fluiuium exonerat. Louanio, & S. Trudone pari abest miliarium triu intervallo. Agro tam commodo gaudet, vt rei frumentariae horreum semper haecenus fuisse, origo, & etymologia nominis, manifestè conuincat. Horreum scribit Becanus, voco ipsas Thenas, nomen inde naetas, quod decimae principibus, iure Herculano dandae, illic conderentur; quas lingua nostra, *Theinden/* vocamus, vnde oppidum, exempto Delta, de more nobis frequētissimo, *Theinen/* nominamus. hinc & fluiuius nomen accepit, ab alimentis subministrandis, quae per ipsum deuehuntur. Nam *Getas/* nullius elementi mutatione, idem significat, quod Latinis, *Dat alimentum*: quod nomen vulgus, vt caetera pleaque omnia, *Get/* adempta posteriore syllaba, pronūtiat. Ad huius autem fluminis vtranq; ripam, Diabelinteres confedisse, quos Iulius Caesar, inter Menapios, & Morinos interijcit, idē Becanus, ingeniose admodum confirmat. Cuius quidem periucundam narrationem, quia Thenarum quoq; agrum & territorium dilucide exprimit atq; describit, paulò prolixius recensere hīc libet. Et infra oppidum, inquit, Thenas, geminus pagus, locorum vbertate nobilis, nomen, vt videtur, Diabelinterum haecenus conseruās. Ex Diabelinter enim, voce integra, *Syntter/* retinemus, quod nomen, duobus pagis ad Getam, infra Thenas sitis, commune ita est, vt cum adiectione superioris, & inferioris, accipiant distinctionem. Nomen certe, loci naturam imitatur, si de sermone nostro vernaculo, pro eo, ac debet, exponatur, cum *Diabelinters/* nullius literae immutatione, eos significet, qui elegantes sunt in arte inferendi, vt quiuis, linguae nostrae non imperitus, agnoscat. Haecenus is genius, cum locorum, tū hominum est, vt pomorum non alia regio ditior inueniatur, adeò, vt nō porcos modo, & vaccas ijs per hyemem sustentet, sed maximam etiam copiam Antverpianam transmittat. Pertinet ea à *Syntter/* iursum secundum Getae ripas vltra Hogardum, cuius nomē vernacula lingua, altum pomarium significat, ad Diabelinterum institutum, & locorum naturam optimè alludens. Nec ager hic pomorum tantum feracissimus est, sed copioso etiam tritici prouentu, nulli secundus habendus; qua in dote ita excellit, vt Prisci illi Principes, qui limiti huic sub Regibus Francorum praesidebant, horreum suum hoc loco habuerint, è quo, cum opus esset, annonam subleuarent, & vicinis eam copia sua redderent laxiorem; decimis omnibus, cum è locis proximis, tum è tota Asbania, huc cōuectis, quae cum latissimis, & fertilissimis totius Europae aruis, vbertate certans, nomen Asbaniae adepta est, quo significatur via regia ad alimentum. Et est profecto illuc eundem ijs, qui volunt breui compendio, rei frumentariae Atuatiorum ad Scaldim sedes suas habentium, prouidere, ad quod magnum praestat Getas fluiuius adiumentum, ad ipsum vsq; horreum, dorso suo naues benè magnas subuehens, quibus frumentum Machlineam, atq; inde Antverpianam, portatur. Horreum autem, quare ipsas Thenas vocitet, iam ante dictum. Ad Getae igitur fluminis ripas, si Diabelinteres habitasse dicamus, nihil sit absurdi, quos non pomaria tantum, sed vinum etiam Hogardicum, & caseus, hoc tempore nobiles reddit. Si itaq; Caesar, de his, apud Thenas olim commoratis, quantum eius de nomine, lociq; natura conijci potest, intelligatur, rectè eos inter Morinos, & Menapios interiecit; cum Morini omnes illi olim vocarentur, qui post Iccium Promontorium, ad Scaldin vsq; *Moeren/* id est, paludes tenerent, quamuis sigillatim alijs quoque nominibus dicerentur. Est sane digna haec, quae ad Getam iacet, regio, vt antiquo nomine celebretur, tametsi daretur, nunquam eam à Caesare cognitam fuisse, propterea, quod nusquam putem plus pomorum prouenire. Sed diutius nos iucundissimi Diabelinterum agri tenuerunt, restat, vt ad ipsas Thenas iam redeamus. Magnam vrbs, & magnae olim potentiae, multisq; negociationibus frequentem fuisse, & historiae, & quae illic hodie visuntur monumenta declarant, quippe, ter nouis aucta mœnibus, & antequam Sylua Ducis, eius casu, ad hoc fastigium peruenisset, quarta Brabantiae Metropolis, sed ferocissimis, inter Brabantos, Francos, & Eburones, bellis vexata, capta, euersa nō semel fuit, vt hodieq; magna ex parte sit deserta. Quod reliquum est, domus habet mediocres, & ciuium numerum non aspernandum. Canonieorum praeterea coetum insignem, ad D. Germani, qui

Episcopus olim fuit Parisiensis, Aedem. Trium Brabantiae ciuitatum, quae inter minores principem locum habeant, prima haec est, amplis omnino priuilegijs, & quidem ijs, quae maiorum sunt ciuitatum, ornata.

TIENEN.



TIENA, Brabantiae Opp: ad
 amnem Geta, vnde casti, qui in
 de nomen habent, magnus pro:
 uentus, Es tque hic templum
 S. Germani, Canonicorum
 Collegio, ornatum






PLATE I
The Temple of Minerva
at Nîmes
The Temple of Mars
at Vézelay
The Temple of Juno
at Compiègne
The Temple of Venus
at Nîmes

BERGA AD ZOOMAM.




BRABANTIA, Regio verè nobilis, & amœna, præter ducatus, comitatus, frequentes Baronatus, & præstantia, quibus distinguitur, dominia, Marchionatum etiam S. Romani Imperij continet, cuius Anuerpia Metropolis: & Marchionatum Bergensem, cuius BERGA AD ZOOMAM, caput est, oppidum valde elegans, & nitidissimè cultum. Quod, quia ad fluuiolum Zoomam, non longè hinc ortum, eleganti, & peroportuno situ collocatum est, ad Zoomam dicitur Berga. Cæterùm, quàm de causa Berga, Goropius Becanus, dum in Ambiauaritis eam collocat, & ad vernaculam Cymbrorù linguam, plurimas origines refert, hanc eius, sicuti & omnium in vniuersum Bergarum, appellationis causam recenset. Propius, inquit, Ambiauaritos, Mosa lambebat, vt è nominib. Bergarum is intelliget, qui linguæ nostræ non sit imperitus. *Barg*/vnum de illis, quæ conuersa, cõtrarium notant, primo suo significatu, montem indicaret; verùm in illis locis, quibus hæc vox antiquitus est tributa, nulli montes videntur. A translaticia igitur significatione deducta sunt nomina horum, de quibus agimus, oppidorù. A *Barg* enim, siue *Berg* (nam vtrunq; dicitur) fit *Bargen* siue *Bergen*/quod est abscondere, & occultare. Et, quia, quæ conseruata volumus, maximè occultamus, transfertur vox ad cõseruationem. Hinc dicimus, *Scepen bergem*/pro eo, quod est naues in tuta statione collocare, atq; ex eo nomen *Berg*/ad portù stationemq; nauium significandam, transiit. Primi enim parentes, à diluuiò in montibus se seruarunt ab vndis: ad cuius rei memoriam sempiternam, omne genus conseruationis, occultationisq; qua nos à periculis tuemur, à montis nomine appellarunt; non ob id tantum, vt videtur, quò commemoratio gratum animù in nobis excitaret, verùm etiam, quò in omni vitæ, fortunarumq; discrimine, in mentem veniret, Deo fidendù esse, qui in extremis malis, suos nouit conseruare. Hac itaque ratione, *Bergen op Zoom*/*Seuenbergen*/*Steenbergen*/Sanctæ Gertrudis *Bergen*/nomina sortiuntur à nauium statione. Qua de re videre licet, Mosam ad Ambiauaritorù has oras, propius olim euolutù fuisse; siquidem tot nauium stationes hæctenus nomina seruarunt, tametsi plurimum perdiderint altitudinis & profunditatis, aquis nullo certo alueo constrictis. Hæc igitur Berga, in initio non alio, quàm dominij titulo insignis, à Carolo V. Anno M.D.XXXIII. ad Marchionatus dignitatem euecta, eleganter in exiguo quodam monte in occidua Brabantia parte, ita mari vicina est, vt non immerito vrbis maritimæ nomen habeat; ab Anuerpia, itinere quidè terrestri, senis dissiata milliaribus, nauigio aut à Middelburgo, circiter octonis, vrbis etiamnum copiosa, multo & ditior, & rebus omnibus abundantior olim fuit, cum mercatus illi Panegyrici, quibus tantum concessum est prærogatiui, apud eam frequentarentur. Itaq; nunc quidè, quòd Anuerpiæ vicinitas & amplitudo, omnia circumquaq; loca (vt sic dicam) inumbrarit, exigua illic negociatio est: quanquã nullus est totius Belgij municipalis mercatus, qui nõ ab illo solenni, & Panegyrico Anuerpiensi vincatur, ita, vt negotiatores huc malint ad solennem, quàm aliò ad municipalem proficisci. Ac, tametsi Bergensis Marchio, Britannorù etiam, magni ad id momèti, gentis fauore adiutus, cù ante hac, multam in eo posuerit operam, tũ hodie quoq; plurimù labore, non potest tamen (ita difficile est, res semel delapsas reuocare) hanc urbem in pristinù splendoris ac foelicitatis statù reducere. Ea tamen regionem habet municipale valde amplam, in qua & vici complures, & in ipso illic Scaldi parua quædã insula, fertilis & amœna. Eius Principes ex familia sunt Bergensi, antiqua, & illustri; quæ cum alios tulerit viros præstantes non paucos, tũ etiam habuit Ioannem Bergensem Marchionem, & antea Carolo V. virtutis merito longè charissimù, & postea apud eius filium Regem Catholicù, gratia, & auctoritate plurimum valentem, Velleris aurei Equitem, Hannoniæ Prætorem, Venationù Brabantia, quæ prima illic dignitas est, Præfectum, census annuos habentem peramplos. Robertus eius frater, vir doctus, amplissimus quondam Leodiensium Antistes, Patruelis autem, Maximilianus Bergensis, Dux & Archiepiscopus Cameracensis. Ioannis etiam Latomi, Bergense hoc oppidum patria est, qui ad S. Trudonis, propè vicum Grobbendunck, nec longè à Lira, Prior, magna vir dignitate præditus, poëta etiam elegantissimus, & alioqui omni prorsus humanitate excultus fuit.



TRAIECTVM AD MOSAM.




TRAIECTVM, vrbs in finibus Eburonum amplissima, ad vtranq; fluminis Mosæ ripam sita, & lapideo ponte iuncta, fornicibus aliquot, accuratissima structura confecto, à traieciendo flumine, nomen habere, constanti historicorum sententia perhibetur. eius incolas Bethasios, Tacito dictos, Marlianus existimat. Quanquam nescio, vnde Ammianus Marcellinus acceperit Obrincense Mosæ oppidum, quo Traiectum super Mosâ situm intelligere videtur, nisi fortè id à Tungris sit mutuatus, qui Traiectum in *Tricht* mutârunt. Et, quia Traiecti nomine, duo oppida vocabantur: Alterum inferius, apud Batauos, alterum superius in Tungris, hoc *Op- pertricht* / id est, Superius Traiectum, Et syncopos, *Opptricht* vocarunt, è quo Obrincense oppidum, Marcellinus fecit: Illud *Witterstricht*, id est, Exterius Traiectum, & concisè, *Wittericht* nominârunt. Quæ verò pars Traiecti ad Mosam, Orientali littori adiacet, *Wick* / vulgari idiomate, dicitur. De vtriusque origine, antiquitate, nomine, ac tutelari diuo, hunc in modum Matthias Herbinus, Scholæ Traiectensis Rector, à Ioanne Tuthemio Abbate Spanheimensi commendatus, libello de Traiecto instaurato, scribit: *Wick* / Ex vico, Latino nomine, tractum, & vsurpatum esse videtur. Hanc autem interpretationem inde coniecturâ colligo, quòd ille locus, antequam ciuitas ad tantam amplitudinem, in qua nunc est, veniret, fortè vicus paganus erat. constat enim ex antiquis historijs, Ciuitatem hanc post aduentum S. Seruatij, maximè auctam, & ampliata[m] hominibus, muris & ædificijs. Ita, quæ tunc vicus paganus erat, nunc est referta viris vrbans, & tamen antiquum nomen retinet, quod ex appellatiuo, longo vsu, proprium factum est, quod frequenter apud priscos accidisse, comperimus. Nam & tota ciuitas nostra, apud illos, via Regia appellabatur, quia per illam Romani Reges, qui iisdem Imperatores, vel eorû Legati, Tungrim, nobilissimam tunc Galliarum Metropolim, iter facientes, transibât: cumq; ad Mosam peruenissent, qui ponte carebat, traiectione opus erat. à traieciendo ergo, Traiectum est nuncupatum, quo vocabulo, Iulius Cæsar, tam eloquens, quàm bellicosus, in Commentarijs suis, vtitur sæpè. Et, quoniam Cæsaris mentio facta est, libet hîc de Cæfare aliquid interponere, quod ad rem nostram attinet. Quoniam ex claris fundatoribus, vrbes non nihil sibi gloriæ solent vendicare, vt Constantinopolis à Constantino, à Romulo Roma: Primordium itaq; Ciuitatis nostræ condendæ, Iulius Cæsar fuit, qui cum multis ac magnis prælijs Galliam, Germaniamq; oppressisset, Traiectum, conuenientissimum locum hybernandi copijs suis delegit. Conspexerat enim prudētissimus Imperator, quòd is locus seipsum facillè muniebat, & nihilominus alimenta viuentibus abundè suppeditabat. Habet enim ad Austrum saltus apricos amœnissimos, pabulationibus iumentorum aptissimos. Ad Occidentem & septentrionem, patentes campos, satorum fertilissimos. Nam ad Orientem, Mosâ est, infinitis vsibus accommodus. Cui in modum semicirculi adiunctum Vallum, omnia castra girando tuebatur, super cuius aggeribus, positi sunt postea muri antiqui ciuitatis, qui vsque in hodiernum diem apparent, & non nihil fortitudinis afferunt. Hæc hæctenus deducta, eò spectant, vt, si nobis gloriandum sit de antiquitate, antequam Saluator noster carnem humanam assumeret, anno circiter octauo & septuagesimo initiati sumus: si de fundatore, à Iulio Cæfare originem traximus: si de nomine, à traieciendo flumen Mosæ dictum est Traiectum, quum aliquando, via Regia appellaretur. Si de præsidente Patrono atque Ampliatore, B. Seruatio plurimû obligati sumus, qui Pontificalem sedem, primus huic vrbi intulit, in qua viginti Episcopi resederunt. Pauca igitur Ciuitates in procinctu nostro sunt, quæ de his æque possunt gloriari. Nam, aut non tam antiquæ, aut à minus nobili conditore fundatæ, aut non tam digno Præsidente atque ampliatore memorabiles. Cum Cæsar oppidum construxerat aggeribus, impleuit Romanis. nam lingua Latina vsi sunt, per multa tempora, vt ex certissimis indicijs adhuc apparet. Et præcipuè omnia, coram Scabinis, & Consulibus negotia, Latine acta sunt, vt constat ex diuersis adhuc Actis, ac litteris hæreditatum, transactionum, infra ducentos adhuc annos Latine scriptis. Hucusque Herbinus. Ciuium pars episcopo Leodiensi, pars Duci Brabantia (qui nunc est Inuictissimus Philippus Hispaniarum Rex Catholicus) parat. Qui vtrique, suos ibi habent Præfectos, ædilesq;. Senatus, Romanorum more, quotannis nouus creari solebat: Bini videlicet Coss. cum XII. Procons. ac Quæstore ex vtriusq; Principis plebe. Sed propter turbas, quæ nõ solum huius oppidi Rem. pub. sed totius Belgij statum, paucos ante annos, susq; deque miserimè agitarunt, is Senatus constituendi mos, interruptus est, Senatu iam per Principum deputatos ordinato, vsque ad eorum reuocationem perdurante. Primaria Traiecti Ecclesia, supra crypta exigua, in qua S. Seruatij corpus, miraculis clarum, sepultum erat, opere, reliquijs sacris, Canonicorum societate, & amplissimis redditibus nobile, S. Seruatio nuncupata est, religione ac pietate ciuium (vt Vsuardus Martyrologio suo, iussu Caroli Magni cõscripto) vel à Monulpho Tungrësi episcopo, vt Beda testatur. In qua etiam nû eius ossa, quemadmodum & sex, ex ordine successorum, cum multis alijs præstantissimis reliquijs, religiosè asseruatur, quæ ex Octauiensi Gallia vrbe, S. Seruatius, Hunnorum deuitans tyrannidem, huc transtulit, quarum gratia, ex remotissimis orbis partibus, vtputa, ex Styria, Croatia, Slauonia, Hungaria, Bohemia, Elsatia, tota Francia, alijsq; innumeris regionibus, & maximè singulis septennijs, dum sacra reliquiæ potissimum ostenduntur, turmatim homines aduolare consueuerunt. Episcopalem Tungrensem sedem B. Seruatius Traiectum transtulit. Cui ibidem XX. ex ordine, sanctitate vitæ clarissimi, successerunt Antistites. Quorum penultimus fuit gloriosus & inclytus martyr D. Lambertus, qui Leodij, pro Christi nomine, sanguinem suum profudit. Cuius discipulus, atque successor, Hupertus, loci, sanguine Magistri, ac Prædecessoris sui consecrati, tactus affectu, Episcopalem sedem eo transtulit. Cui hoc tempore, Reuerendissimus Illustrissimusq; Princeps, ac D. Dominus Gerardus à Grosbeck, S. R. E. Cardinalis, summa cum laude præest. Traiecto plurimum vtilitatis, Iecora præbet, fluuius exiguus quidem, sed subinde niuibus resolutis, aut immodicis imbribus, ita exundans, vt pagis, ædibusq; vicinis, non parum detrimenti inferat. Profilit non procul à Centronibus, Tungrorsq; alluens, Traiectum, sinuosus, se confert: in cuius suburbio in duos diuisus alueos, totidem etiam locis, vrbem intrat. ibiq; rursum, altero alueo in plures se pandente, maximam molitoribus, fullonibus, tinctoribus, coriarijs, alijsq; opificibus, ciuiumq; domibus, commoditatem adfert. Demùm, Franciscanos præterluens, omnes suos alueos in vnû cogit, sicq; oppidum effluens, in Mosam se exonerat. Quin & illud memorabile, quòd passim in vicinis Traiecto locis, potissimum verò in Gronsfeldt, sabulosi è terræ visceribus eruantur lapides, præstantissimi autem in pago Tichen, vtputa, duriores, ac diuturniores. At, deterrimi, in Hunnorum monte, in quibus præter conchiliorum species, in lapidem induratas, animalium quoque ossa reperiuntur. vnde conijcere quidam volunt, eos montes, ex diluuij æstibus aggregatos. Qua de re accuratius differitur in Veronæ descriptione, in operis istius Indice.



TRAIECTVM
AD MOSAM.






LVTZENBURGV M.



VTZENBURGV M, vel, vt plerique, absque certo tamen Orthographiæ delectu, Lucenburgum : Et, vt Meierus, Luceburgum, vrbs eiusdem nominis Ducatus præcipua, Regioni vniuersæ, quod cum pluribus alijs cõmune habet, appellationem præbet : Quam & ipsa à prætercurrente fluuio Elza sortiri putatur, (Antonino fortasse Alizontia) quasi Elsenburg, & corruptè Lelzenburg, vnde Euphoniæ deinde gratia, Lutzenburg, deriuatum sit. Petrus Appianus, Ptolemei Augustam Romandiorũ huic Belgicæ vrbi attribuit. Sed Volaterranus Constance, vrbs Normanniæ designare scribit, Et ipsos Romandios, Normannos esse: quod tamen cum situ non conuenire, Villanouanus obseruauit. Alij, eam ad anilem Melusinae præstigiatrix historiam referunt. Sed diuersarum appellationum ratio, fides & defensio penes ipsos auctores esto. Vrbs ipsa est satis munita, sed inæquali situ. partim enim in monte, partim in infima, ac præcipiti valle exstructa, disparili admodum forma sese spectandam præbet. In ea supremi Consilij Tribunal, in quo & Præses, & Senatores, causarum Iudices, alijsq; nonnulli, ei magistratui veluti subseruientes. Gens ipsa, etsi potiore ex parte Germanica, Iuris tamen disceptationes, partim Germanicè, partim Gallicè fiunt, prout Regionis vrbes ac vici alterutra vtuntur lingua. Cùm etenim finitimarum ditionum, partim Germanicis, partim Gallicis cingantur limitibus, quam regionem potissimum, & magis vicinam spectant, eius quoque potissimum moribus, & lingua vtuntur. Ex quo necesse est, Iudices, & eorum tabelliones, aut qui aliàs Iudicio quomodocunq; suffragantur, vtramq; tenere linguam. Ab hac deinde Curia prouocatur Mechlineam, vbi, quæ scripta sunt Germanicè, bona fide Gallicè redduntur. Hæc vrbs, iam tum à primordio Comitatus titulo insignis, postea in Ducatus dignitatem, qua hodiè adhuc vtitur, euecta fuit. Hoc aliqui VVêceslao Romanorum Regi, alijs Carolo quarto tribuunt. Conradus autem Vercrius, Henrico septimo adscribit, primo, ex ea familia Romanorum Imperatori. Aedem primariam, numini dicatam, sub D. Nicolai tutela, exhibet, priuatas ciuium ædes mediocres, plerasque bellorum iniuria, non optimè restauratas, complures etiam desolatatas. Non enim existimo, multo plures inueniri vrbes, in quas tam hostili mente, bellorum furoribus, offensa fortuna defæuerit, atque in hanc Luceburgici ducatus Metropolim. Quæ non ab externo tantum milite, potissimum verò à Gallo, quem offensum, insultantemq; sibi frequenter, magno cum detrimento sentijt, sed domesticis etiam dissidijs attrita, fracta, & mille calamitatibus exposita fuit. Quales certè maximas, anno M. CCCC. XLII. perpeffa. Quas hunc in modum Meierus Annalium Flandricarum libro XVI. describit. Elizabeth dux Lutzeburgen. quæ primùm Ioanni Brabanto, inde nupta Ioanni Bauaro, per hæc tempora multis iniurijs afficitur à suis popularibus, qui consuetos census & redditus pendere illi detrectant. Hanc rebellionem ipsa Regio Luceburgensis, & Theonis villa in primis inceperant, suamq; dominam portis excludebant. Vidua misera ac desolata, nisi ad Philippum quò confugeret, non habebat. Hunc igitur multis precibus sollicitat, vt pro honore patris sui, simul & auunculi, quos ambos deinceps habuerat maritos, auxilium præbere dignetur, alioqui viuendum sibi fore in inopia & miseria. Philippus, certus sibi perire, quicquid periret amitæ, & materteræ viduæ, mox concilio suorum coacto, auditisque sententijs, monet hortaturq; Luceburgenses, iniurijs desistat, debito suam dominam honore colant, nihil nouarum rerum moliantur, debitum, consuetumq; censum pendant, pacem cum illa custodiant, alioqui contra tantam iniuriam, omni se ope illi auxiliaturum. se esse ex pactis, eius vnicum, & verum heredem, se Principem Ducem futurum Luceburgensium, non passurum se, vt damni quidpiam Ducatui inferatur. His Philippi monitis minimè parendum Luceburgij existimant: sed ad Guilhelum Saxonie Ducem, qui se eius Ducatus dicebat hæredem, confugiunt. Habebat enim Guilhelmus in matrimonio neptem ex filia Elizabetha Sigismundi Imper. Elizabetha nempe filia illa Sigismundi ex Alberto Imp. viro suo liberos reliquit Ladislaum Regem Vngariæ sine liberis immaturè defunctum, & duas filias, maiorem Guilhelmo isti Saxonie Duci, minorem verò, nuptam Cazimiro Regi Poloniae. Octingentos circiter pugnatores ab Guilhelmo accipiunt Luceburgij, qui ductore quodam Comite de Clito, aduenientes, bellum facere cœperunt vniuersis Castellis, quæ adhuc in Elizabethæ persistebant fide. His Philippus cognitis rebus, Ioannem Comitem Stampanum, cum forti manu pugnatorum, quos ex Ambianis, Atrebatibus, & Morinis conscripserat, ad se accersit in Burgundiam, præmittitq; Simonem Lalanum, cum quadringentis pugnatoribus, vt cum Comite Varnenburgensi, cū domino Salucens. si, & Henrico à Turre, qui fideles adhuc erant suæ dominæ, se coniungat, bellumq; facere, ac resistere hostibus incipiat, ipse statim, cum nobilitate Burgundica, alijsq; nobilibus, & bellicosus viris, subsequitur. Lalanus apud Harlonem, Philippus statim adueniens, ad luodium oppidum, castrametatur: Et Villiacum, prædonum receptaculum, vnde Iacobus Bellomontanus vicinos infestabat, cepit. Promouit inde copias ad Luceburgum, scalisq; de nocte, muris admotis, haud magno negotio, per fortissimos exercitatisimosq; milites suos, cepit. Primus Gauarus Quieretus murum cum suis superauit, in oppidum euasit, portamq; effregit, per quam plerosq; ductores cum militibus circiter ducentis, intromisit, forumq; occupauit. Ad clamorem oppidi capti, Germani in arcem confugerunt, incensis perpulchris circa illam ædificijs, cum grandi ciuium damno. Stampanus oppidum ingressus, arcem obsidet. Ciues, amisso oppido, trepidi fugiunt ad Theonis villam, desertis omnibus fortunis suis. Philippus oppidum plenum inuenit diuitiarum: Direptum ac deprædatum totum. Rixa inter nobiles, ac militem orta, de præda ex æquo diuidenda, vt erat promissum: sed nobilitas vbique superior, longè meliorem tulit partem, militi, quanquam grauitè quiritanti, non nisi viliora, cesserunt. Comes Clitanus, de nocte se ex arce proripuit, fugitq; Theonis villam. Obsidio arcis tenuit circiter ternas hebdomadas. Tandem Clitanus suorum pactus duntaxat vitam, arcem Philippo dedit. Ita Dux breui tempore, nulloq; magno suorum damno, toto ducatu potitur, Elizabethamque amitam domum restituit, vt omnibus emolumentis & fructibus, vti antea, in vita frueretur, accepturus ab illa, quinque circiter milia ducatorum. Ita assertur Luceburgicus Ducatus, quem etiam nunc Philippus Hispaniarum Rex, Ducatus titulo possidet.




LVXEMBOVRG

ALSAT FLV

LVTZENBURGVM,
 Ducatus eiusdem nominis, vetus
 et primaria Vrbs, in superi-
 orem & inferiorem situ mira-
 bili, vallibus, et precipitijs
 secatur. Cas Fro quondam, et
 Benedicti forum coenobio Du-
 cum oratorio, et sepulture
 nuncupato pres tansera





ARNHEMIVM.



ARNHEMIVM, Tacito, vt Diuæus, & B. Rhenanus afferunt, Arcuacum Geldriæ oppidum, in dextri Rheni ostij, dextra ripa, medium milliare ab eo loco, vbi altera fit Rheni sectio, cuius dextrum brachium Issula, ac ibidem fossa Drusiana, dici incipit, Asciburgium, id est, Dousburgum vsq;. Issule verò nomen ei ostio manet, vsq; dum mari Australi, vulgo *Süderzee*, excipitur. Oppidum est florens vtcunq;, ac primaria Velauniæ insulæ, quæ & Vcenauiæ, id est, Paludû Insula, vulgo *Die Velaw* appellatur. Inferior insulæ pars Hollandia nuncupatur, & Ultraiectensis tractus, circa Batavodurum, id est, *Wick te Duersteden* / vbi Rheni medius alueus nomen mutat in Leciam. Est autem eius insulæ territorium paludosum, ac vliginosum, syluisq; consitum, vtpote quæ ferinarum affatim præbent venatum; eius latera clauduntur ab ortu Issula, à Septentrione eo mari, quod *Süderzee* vocant, ab occidente, *Dicht flu.* à meridie Rheni, seu Lecio fluuio, vnde abunde piscium ipsis suppeditatur. Supremum Geldriæ ius & Cancellaria, Arnhemium obtinet, subditas habens vrbes, earumq; præfecturas, VVageningû, Hattenum, Harderouicum, Elburgum, sitas omnes in ea Geldriæ parte, quæ Velauiæ vulgo nuncupatur. Complures etiam continet vicos, suos habentes magistratus, omnes tamen summo Velauiæ Præfecto subiectos. Arnhemij autem Geldriæ Dux sedem olim, ac Prætorium habebat. Ibidem nunc & Prouinciæ Præfectus degit, & Curia Iudicialis Geldriæ atq; Zutphania Senatus, quem magistratum instituit Carolus V. posteaquam eam Prouinciã armis Anno M. D. XLIII. recepisset. In eum Magistratum adlegit vnum Cancellarium, & Senatores decem; eorum quatuor ex nobilissimis, quatuor Geldriæ Regionum viris, sex reliquos ex Iuris & legum consultis. Hi magna prorsus auctoritate ius dicunt, nec ab eorum sententia concessa est appellatio. Est hac ipsa quoq; in vrbe Ratiocinarium à Philippo Catholico Rege institutum Anno M. D. LIX. ad quod omnes Geldriæ, Zutphaniaq; Magistratus, siue iuris dicendi, & rerum criminalium Præfecti, siue pecuniæ publicæ, atque ærarij Quæstores, suas administrati muneris rationes referre iubentur.

VENLONVM.

VENLONVM, opp. Geldriæ, arte & natura munitum, in dextra fluminis Mosæ ripa conditum, & dimidio dissitum à Strala milliari, mercimonijs pollet. Vbi anno M. D. XLIII. Cliuiæ Dux Carolo V. Cæsari sese dedit, concordia inter vtrunq; Principem deinde cõsequuta. Hinc Guilielmus Veldius, homo doctissimus prodijt.

GELDRIA.








GELDRIA, paruis duobus milliariibus Strala dissitã, vrbs ipsa est, abs qua tota Regio nomen, idque hac occasione acceperit: Sunt, qui constanti narratione perhibent, tempore Caroli Calui Imperatoris, circa locum illum, in quo est Geldria oppidum, horrendam quandam, ac venenosam beluã, ijsque locis ante id tempus nunquam visam cognitamque, sub arbore esculo delituisse, magnitudinis immensæ, sæuitiæque incomparabilis. hæc agros, camposque deuastans, nec pecoribus, nec iumentis parcens, ipsis etiam hominibus, à quibus non abstinuit, vsque atleò formidabilis ob inexplebilem voracitatem, ac atrocitatem euasit, vtsinibus suis cedere complures, seseq; solitudinibus abdere coegerit. Duo verò cuiusdam à Ponthefilij, partim, vt sibi ipsis, partim etiam, vt publico vicinorum commodo prodesse, miris technis, audaciaque incredibili beluam aggressi, post dubium, varium certamen ac luctam, tandem superiores belua euasere, eaque interfecta, haud ita procul à Mosæ fluuio, ad Nersæ ripam, in memoriam rei arcem extruxere, cui Geldre nomen fecere, voce ex continuo & miserabili, ac identidem repetito mugitu eius beluæ, quem, dum cederetur, edebat, mutuata.

RUREMVNDA.



RUREMVNDA, Præcipuum post Nouiomagum Geldriæ Ducatus oppidum, ad Ruræ fluuij ostium situm, vbi Mosæ miscetur, habitatore frequens, situ, natura, arteque munitum tribus Venlono milliariibus distans. Episcopali nostris temporibus dignitate ornatum, cui D. VVilhelmus Damasi Lindanus, varijs in re Theologica æditis libris clarus, primus episcopus præest. Nobilium ingeniorum Ruremunda ferax quouis tempore fuit. Hinc namque edij Bartholomeus ille, Cœnobij Bethleemiti Prior, multorum auctor operum, Et Dionysius Rickel, eiusdem Cœnobij Monachus, vir eximie doctus ac celebris, multorum librorum tanta cum laude Scriptor, vt præter D. Augustinum apud Latinos parem habuerit neminem. Sub Ruremunda, & vrbes & Magistratum sunt præfecturæ: Vrbes quidem, Venlonum, Geldria, Stralena, VVachtendonchum, & Herculis vrbecula, vulgo *Erckelens*, in Ducatu Iuliacensi; Præfecturæ autem harum ipsarum vrbiũ, & magistratum Kesselij, Monsfortis, Melderij, Crickenbekij, Echtij. Sub Otthone III. Geldrici Ducatus Comite, maxima Ruremunda incrementa sumpsit. eam namque tunc temporis vilis, muris cinxit, & ciuilibus priuilegijs consecrauit.






NOVIOMAGVS.




NOVIOMAGVM, urbem suam indigenæ, nunc regnum, nunc basim imperij, appellant, quòd vna sit trium earum, quas Carolus Magnus, quòdam sibi sedes delegerat. Primam aiunt Aquisgranum fuisse, secundam Nouiomagū, tertiam Theonis Villam. De origine eius, Gelden Aurius ciuis, in historia Batauica, à Mago potentissimo Gallorum Rege, Ditis filio, conditam, & de eius nomine Magam appellatam fuisse, tradit. Pòst temporis progressu, à Batone Cattorum Regulo, istuc transmittente, loci amœnitate capto, tum etiam antiquæ nobilitati istic gratificaturo, instauratam atque auctam, triplici mœniorum ambitu cinctam, ac inde Nouiomagum vocatam. Addit idem, Batonis filium Hesium patriâ suam summoperè ornasse, vnde procliuior eius pars, etiam nū ab eo, Mons Hesium dicatur. Postremò adiungit, omnium ordinum consensione, à Batauis regiam, ac prouinciæ caput constitutam esse. Vtcunque est, liquet, perantiquam esse urbem, ad eam Rheni partem collocatam, quæ Vahalis vulgo vocatur, flumen inibi & latissimum, & altissimum, duobus miliaribus ab arce Rauentenia distat. Aedificiorum structura nobilis profectò est, & firma: populosa & diues. Nam postquam nouissimè ad Austriacam domum redijt, ciues cum mercaturis faciendis, tum litteris operam dederunt, antea ferè nulli rei intenti nec assueti, quàm bello, & armis. Habuit tamen diuersos viros olim litterarum doctrina illustres, qui varia opera, & se, & Repub. digna, ediderunt: vt Theodicum Borguim, Ioannem Henricum, Henricum Bronchorstium, & D. Franciscum Craneveldium, Mechliniensis Regij concilij Senatorem, virum vti doctum, ita singularem, virtutis & studiorum patronum. Gerardo quoq; Falckopyrgico patria est, singularis eruditionis viro. Sunt etiam istic innumeri alij, bonis literis dediti. Inter alia quoque gymnasium erectum, in quo à septem magistris vtraq; lingua, Latina & Græca, singulari Reipub. vtilitate & laude docetur. Templorum, quæ ibi ornatissima arte sunt, omnium excellentissima est basilica D. Stephano dicata. Inter rerum porrò miracula, perantiqua est arx illa, in colle sita, vrbis imminens, quam à Iulio Cæsare ædificatam, aut saltem instauratam aiunt, quasi dominatricem, atque exploratricem subiectæ atque circumiacentis vicinix. Ambigi profectò possit, an vlla alia totius Belgicæ specula amœniorem, regionum, fluuiorum, agrorum, terrarumque prospectum habeat. Hic iuxta atque in vicinis municipijs repertæ aliquando prisorum Romanorum reliquie, puta numismata, lapides, marmora, instructissimarum domorum parietinæ, sepulcra, monumentaque, solerter perquirendi, perscrutandique terræ viscera desiderio ciues afficiunt. Cuius rei luculentissimus testis est, instar multorum, Ioannes Falckopyrgicus ciuis Nouiomagensis, homo virtutis, & antiquitatis perstudiosus, qui domi suæ tres aut quatuor tabulas marmoreas ostentat, vnà cum illustrium virorum elogijs, epitaphijs atque inscriptionibus. Habet etiam Nouiomagum vicecomitatus titulum, estque vrbs & feudum Imperij. Monetæ cudentæ ius habet, vt & cæteræ Imperij vrbes liberæ. Prouocatur inde non ad Geldriæ Cancellariam: sed rectà ad Aquisgranensem curiam. Quotannis certum hominem Aquisgranum mittit, qui defert eò cheirotecam piperis plenam, Imperialis feudi agnitionis ergò. Philippus tamen Rex Catholicus, vti Dux Geldriæ, istic, quemadmodum alibi, monetam percuti curat. Ecclesiasticus ordo eius vrbis paret Archiepiscopo Coloniensi, quod nunc nouorum Episcoporum in hisce regionibus institutio perturbauit. Hæc vrbs totius Ducatus, & singulatim primæ tetrarchiæ Geldriæ, omnium amplissimæ, caput est, cuius territorio comprehenduntur, Tiletum, & Bommela, ciuitates muris clausæ, Gentum vel Gandauum, & Bómelerouerda, non quidem mœnijs cinctæ, attamen priuilegijs & immunitatibus donatæ; item superior atque inferior Batauia, cum tota ea plaga, quæ Mosa & Vahali fluminibus includitur, ad eò, vt generatim omnes hi municipes se Nouiomagi sistere, iure cogantur. Accessit hæc ditio Geldriæ Ducatui, Anno M. CC. XLVIII. hac ratione. Otto II. Comes, Guilhelmo Romano Regi vnum & viginti millia infecti argenti pondo, mutuo dederat ea lege, & conditione, vt, nisi certa die commodatam pecuniæ summam persolueret, Geldriensis in eam possessionem, vt suam ac propriam, veniret, quæ conuenta, pluribus etiam conditionibus additis, postea à Rodolpho itidem Romanorum Rege confirmata sunt. Cum verò, ad constitutum tempus, siue propter ærarij tenuitatem, siue incuria quadam, pecunia illi reddita non esset, ex conuentu, certis tamen conditionibus, Nouiomagensis ditio, Geldriæ Comiticesit.



NOVIOMAGIUM sive NOUIONA:
 gum vulgo Nijmegen inclita quōdā
 Francorum Regia Vrbs Gelliae primaria.





INSVLA



FLANDRIA, latioribus quondam extensa terminis, hodie Brabantia, Hannonia, Artesia, & Oceano finita, in tres diuiditur partes: In Flandricantem, siue Teutonicam, in Gallicantem, & Imperatoriam. Gallicans dicitur, eò, quòd lingua vtatur Gallica; iungitur à Septentrione Gallia Teutonicæ, à Meridie attingit diœcesin Cameracensem, ab Oriete Scaldi flu. ab Occidente Liza flu. & Artesia terminatur. Regio haud ampla, ac supra, quàm dici queat, fertilis, cù rerù omnium, tū in primis frumèti, & rubeæ Tinctoriæ, seu Erythrodani, prætata ac pabula lætissima, vnde pecudū, iumentorūq; abunde alunt. Continet oppida ciuitatesq; elegantes, & opulentas, quarū prima est INSVLA, vulgo Ryffel, ciuitas perpulchra, & diues, mercatorib. locupletibus frequens, ac opificum mechanicorū; Textorum præcipuè, ingens numerus, qui per omnè fermè orbem, merces mittunt varias, ita, vt hæc, post Anuerpiam ac Amsterodamū, primas in mercatu teneat, Insulæ appellationem ex eo, multis perhibentibus, obtinens, quòd in paludibus olim & stagnis, quæ postea temporis diuturnitate, atq; hominum industria, vel siccata, vel terra oppleta fuerint, insulæ ad modū sita esset. Alij narrant, ex multis illic circumiectis insulis, id vrbi nominis accidisse. Iuxta mœnia, qua regione arx collocata est, labitur fluuiolus; qui Lentij Atrebatū ortus, incitato ad Septentriones cursu, Disselmontij se in Lisam confundit. Insula Messenij tribus abest miliaribus, quinq; Tornaco, paulò amplius Ipris. Condidit Balduinus Barbatùs, Flandriæ Comes, anno septimo supra millesimū, Qui deinde Barbati filius, vbi natus fuit Balduinus pius, ex loco etiā, Insulani cognomentū tulit, abs quo vrbs, quæ ipsius esset patria, multis aucta beneficijs, muris quoq;, anno millesimo, sexagesimo sexto, conclusa fuit. Is deinde, magnificum illud templū, quod à D. Petro nomen habet, excitauit, in quod & splendidissimū Canonicoꝝ Collegium, amplissimo ad eam rem constituto censu, cooptauit, interq; ipsos canonicos, Tornacensem, ac Morinensem episcopos, accenseri voluit. Hæc vrbs, præualidā habet arcem, in qua veteris arcis Bucanæ (quæ primū eorum, qui Regis Gallia nomine, Flandriam administrarunt, Prætorij fuit) reliquiæ visuntur. Hi, cum initio dicerentur Nemorarij, quasi Nemorū Præfecti, & custodes, ad summam dignitatem peruenerunt. Eo bello, quod Ferdinandus Flandriæ Comes, in Philippum secundū Gallia Regem, & Ludouicum Principem, eius filiū, Diui postea Ludouici patrem, gessit, Insula capta, & incendio consumpta, de hinc restaurata, bello rursus exitiali, & toti Flandriæ tantum non internecino, exarsit, in hostium potestatem redacta, multis vexata modis fuit; qua de re Flandriæ Annales Meieri, libro VIII. consule. Eadem hodie pulchris ædificijs, illustrib. ac nobilibus familijs, mercatoribus ditissimis frequens ac celebris. multos etiam habet industrios artifices, qui mercij diuersa genera, præcipuè autem ea, quæ Belgæ Saias, ostadia, inuersa, & quæ iuxta Gallicum Idioma, quòd colorem pro diuerso positū, mutare videantur, variantia dicuntur, ad pretij cuiusq; modum, conficiant. Imò tam frequentes Mechanicis incumbunt, vt, quod vix alibi videre est, haud reperias pueros, quatuor annos natos, qui non sufficientes sint suo labore, victum sibi comparare. Cū enim ingentem pannorū copiam concinnent, hi aut fila fuso ducunt, aut in globulas ea redigunt, aut lanā tractant, seliguntq;, aut aliud quippiam operæ impendunt. Hac ipsa in vrbe, curia est iudicialis, eademq; ratiocinaria, vt quæ Fiscus etiam rationibus præsit, ei quidem similis, quæ est Bruxellæ, sed, quæ tum plus auctoritatis habeat, tum res plures tractet, latiusq; dominetur. Cōplures etiā habet Municipales prouincias, quæ suas illuc rationes referant, Flandriam, Artesiam, Hannoniam, Namurcū, & Mechlineanam ditioem. Quin & eū, quem dicunt, Burgundiæ liberum Comitatus habuit, quoad paucis ab hinc annis, nouum eodem loci Ratiocinariū institutum fuit. Hunc Magistratū Philippus Burgundiæ Dux, Audax cognominatus, prudēti consilio instituit, vt tanquā sanctius quoddam Antistitū Iustitiæ Concilium, & ius Prouincijs diceret, & ærarij sui rationibus præffet. Qui tamen ei successit filius Ioannes, cum Senatū huic tantæ negotiorum moli non sufficere animaduerneret, bipartitò hunc diuidens, apud Gandauos aliam condidit Iudiciorum curiam, vt ibi quidem Iuris controuersiæ deciderentur, penes Insulanum autem Concilium, ærarij ac Fiscus Principis auctoritas, & veluti summus tribunatus esset. Ibi Concilij Præses, & quatuor rationum magistri, quibus adduntur quinq;, vt vocant, auditores, tres Notarij, & alij nonnulli, eius Magistratus functionē aliquam sustinentes.

Horum fidei committuntur codicilli, ac Regesta, quæ dicuntur, priuilegiarum, cuiusq; modi Princeps Reipub. largiatur. Insula demum, peramplo est Comitio ac dominatu; & paucis, totius Flandriæ Gallicæ caput, ac Princeps.

LILLE. INSVLA. Ryssele



- | | |
|-----------------------------|-------------------------------|
| 1. La porte de S. Pierre. | 12. Leglise de S. Catherina. |
| 2. La porte de courtraj. | 13. Leglise de S. Saulueur. |
| 3. La porte de reneau. | 14. L'ospital de S. Saulueur. |
| 4. La porte de fie. | 15. L'ospital de S. Shean. |
| 5. La porte de S. Saulueur. | 16. L'ospital de S. Nicafen. |
| 6. La porte de malade. | 17. Les Cordeliers |
| 7. La porte de molniers. | 18. L'ospital de Contesse. |
| 8. La porte de bare. | 19. Le court de lempreur. |
| 9. Leglise de S. Pierre. | 20. La maison de la Ville. |
| 10. Leglise de S. Estienne. | |
| 11. Leglise de S. Maurice. | |



BY APPOINTMENT



D V A C V M



DVACVM, in Flandriæ, Hannoniæ, & Artesiæ confinibus, opp. quo non aliud mœnibus & incolis cultius, munitiusque, aquis quàm optimè instructum, fontes siquidem limpidissimos habet cõplures, vnum propè D. Amati, maximè celebrem, qui Mauronti, cui sacer est, nomen cœpit. Altissimo aggere, quasi perpetuo quodam monte cingitur, quem binæ etiam fossæ, aquis refertæ, venustissimè ambiunt. Scarpo itidem fluuio irrigatur, qui prope Atrebatum ortus, in hanc urbem Duacensem, duabus illabitur faucibus, inde frequentibus diductis riuulis, præterquam, quòd varijs in locis oppidanis vsui est, & emolumento, vbi se tandem colligit, ibi demum aquis adauctus, nauigabilis redditur, vt onustas mercibus cymbas Tornaco, Aldenarda, atque Gandauo, in Scaldin, notum & celebre flumen, per oportune deferat. Duacenses olim Catuacos fuisse, Cæsaris Commentariorum Scholiastes palam fecisse, Iacobus Lessabeus, Marlianus, & alij affirmant. Sunt vicissim, qui dubitant, cum locus ille Cæsaris in Commentarijs ita legatur, vt nihil ea de re certi liqueat. Verùm, vt ad oppidanos nunc redeam, illi hætenus vt illibatam urbem, ita Principi studiosissimam mentem semper habuere. Id visum est, cum superioribus sæculis sæpè, tum Auorum Patrumque memoria, quando finitimi Franci in Galliã excurrerunt. Magis verò postremis hisce annis, quibus funestis, & perniciosis seditionibus, vniuersum Belgium exarsit, quibus ne in minimo quidem contra Regem Philippum itum est. Cum Insulis, Orchiaco & confinibus inferioris Flandriæ in summa est, & vnum eius Prouincię statum constituit. Rempub. habet optimè constitutam, ab alijs municipijs plane diuersam. Concurrunt enim in ea tria Rerumpub. genera. Regem suum supremum, & monarcham agnoscit: deinde sunt in ipsius corpore, mira quadam maiorum prudẽtia, duo ciuitatis Prætores, vnus in criminalibus, quem Ballium; In ciuilibus alter, quem Præpositum vocant; ad quos non cognitio, sed sententiarum à Magistratu latorum, executio pertinet. Habent ij perpetuam dignitatem, & hæreditariam. In Magistratu sunt XII. vt vocant, Scabini, & VI. viri alij, qui XIII. Mense ex toto populo à IX. viris ad hoc ab ijs, qui Scabinatu tum defunguntur, nominatis, eliguntur. Quę speciem Aristocratia ferunt. Deliguntur enim pauci, & optimi. Quinetiam nullo Nobilitatis respectu, de Plebe vocantur, in quo Democratia versari videtur. Et hæc quidem de Duacensi Repub. & ciuitate: nunc ad urbem ipsam redeamus. Proximum foro est Capitolium Valecenati haud absimile. Alterum mœnium, quæ hîc geminata conspiciuntur, ad imam aluei crepidinem, arcendis hostibus, prouide collocatum est. Verba sunt Lessabæi, Putatur autem, de Arce perueteri hîc agere, prope D. Amati, in qua turris fuit stupenda altitudine, ac vetustate, cuius visendæ causâ, Architecti, ex Italiæ, & alijs mundi partibus, huc frequenter concedere solebant. Eius immensa altitudo obstabat, cum alia à ciuitate erigeretur, ne is, qui perpetuo in summa curiæ specula, excubias agit, in omnes portarum vias, pandere visum posset. quamobrem diruta est. Domus contigua, partim in publicos carceres, commutata, partim in Orphanotrophium, c. l. florenis annuis eo ex munere dotatum, quo Rex Catholicus, Carthusianos, qui Valencenis in hanc urbem aliquando commigrare statuerant, ornaturus erat. A paucis deinde annis, mœniorum forma prorsus immutata fuit. nec enim geminata sunt hodie, sed perpetuus, altusque agger, duplici aqua munitus, vniuersum urbem circundat. Tempa habet non pauca eximia vetustatis. Præcipua sunt Apostolorum Principis, & B. Mariæ sacrum, sub Clodoueo Francorum Rege, Anno à Christo nato l. crectum. Quorum hoc hodie sacellum est in D. Amato, in sinistram chori. Quatuor Diuorū reliquias adseruat, in queis Mauronti Diua Riãtrude, quæ Marchenis colitur, geniti: Illud molem habet, ædificandę ad templi crepidinem turri, iam olim apparatã. At vereor, ne noctua illis aduolauerit, nempe Babylona potius, quam Pyramidem comminiscens. Et aduolauit aliqua certè: iacet fundamentum, & columnæ etiamnum interruptæ. quod si emerferit vnquam, futurum, vt Pyramis, qualis nusquam in Flandria, exstet. Nundinæ binæ, Ad Kalendas Sextiles, & Octobres. Frugum maximus mercatus. Conuehuntur autem ex Austrebanësi, & Artesiaco agro. Lanarum peculiari colore tingendarum ius habet. Ager est supra Duacum, Atrebatem vsque, compascuus atque arabilis, at raræ in proximo syluæ. Lignis vtitur aduectis, ex syluis, quæ sunt ab altera vrbis parte, Tornacũ versus, satis frequentes. Aedes sunt pleræque non dicendæ venustatis. Genus hominum, nihil minus, quàm effemmatum, proinde pugnax. Itaque propellendi hostis spem, non collocant in adscititiorum militum centurijs: quin prius habent, suum defraudare ærarium, suoque discrimine, superstitem seruare urbem, quàm alieno ferocire præsidio. Quanquam tamèn, sub Carolo Quinto, & ante ipsius quoque tempora, licet rarius, præsidarium militem admiserint. Ab eo verò tempore, eã huic vrbi fidem, et si in Galliæ finibus cõstituta, Philippus Rex semper habuit, vt proprijs sub vexillis, ciues militent, ac Patriæ defensionis præsent. Ob quam quidem incolarum tum fidem, tum constantiam, tanta in hanc urbem Regis liberalitas exstitit, vt quicquid M. suę ex ærario, dotis nomine, debebatur, id omne in magistratus, & vniuersitatis ornamenta conuerterit. Celebrem hîc namque Academiam, à Romano Pontifice approbatã, Anno c. l. l. LXIII. multis ab utroque immunitatibus, & priuilegijs donatam, instituit. Quæ quidem maxima huic vrbi ornamenta hætenus conciliat, cum ex paupere municipio, opulentã urbem, ex tugurijs, & casis, ædes magnificas, & insulas: ex parua denique, magnam effecerit. Inuexit mercimonia, opes, prudentiam, toti demum Belgio, præcipuè utilis, in qua cum omnium facultatum scientia, eadem opera etiam linguam Gallicam Studiosi addiscant, qua in omnibus ferè Belgij Aulis, & tribunalibus, passim res forenses tractantur, & mercatores in negotijs aliquantò libentius, quàm sua vtuntur. Ad hoc Gymnasium amplificandũ, summa Regis accessit liberalitas. Domum maiorum suorum, & Arcem, quam hodieque vulgus Aulam inferiorem: *la Basse court*, appellat, in Collegium Facultati Artium donauit, in quo adolescentes in literis & Philosophia exercerentur, locum sanè ad Musas ad commodatissimum, quod ad situm attinet, vndique cinctum flumine. Deinde scholam publicã, amplissimã domum exstruxit & Macellũ. Ex sua dote in singulos annos l. millia florenorũ Academia donauit, ex qua summa, omnium Facultatum Professoribus salaria dantur. magnus est auditorum numerus, maximè Anglorum, & tanta docentium diligentia, & doctrina, vt hac iuuentula, non tantum Auiam Agrippinẽsem Scholam, sed matrem etiam Louaniensem facillè agnoscas. Regia ista liberalitas, duorum potentium ac nobilium Abbatum studium, mirum in modum inuitauit, D. Ioannis Lentailleri Aquicinctensis, & D. Arnoldi Gantois, Marchensis qui, cum prius vnum Collegium communibus sumptibus cogitassent, ad incrementa studiorum, mutatis in melius animis, Aquicinctensis solus tã amplum Collegium excitauit, vt facile c. l. conuictorum, vt singuli cubiculum habeant, sit capax. In quo Collegio amplam quandam domum Societati Iesu donauit, eosque disciplinæ præfecit. Marchensis item, non quidem tam amplum, sed multo splendidius, erexit. Mirum est, quàm in his Gymnasijs & literarum, & Philosophiæ studia, æque colantur, quamque proinde ad superiores facultates idoneam iuuentutem transmittant.

DOVAY.

DVACVM, Catuacorum vrbs, tam
situ, quam incolis, et litterarum stu-
dijs elegantissime ornata

MERIDIES.



1871



SLUSA



SLUSA, Teutonicæ Flandriæ oppidum, per quàm elegans, quondam *Dammisch Bliet* ut palam fit ex publicis litteris, nuncupatum, copiosum olim, & diues, quinque Middelburgo, tribus milibus à Brugenſibus abeſt, qui arte, manuq; factò aquæ ductu, ſeu Canali largiſſimo copioſiſſimoq; omnes eius territorij aquas, ſingulari induſtria, facile vnum in locum colligunt, eaſq; pluribus foſſis nauigabilibus, per urbē ducunt, ac vnū in alueum denuò reuocatos, ad Dāmum oppidū, indeq; ad Catarrhactas, *Zer Sluſſen* vocant, deducunt, eiſq; Reia, nomen faciunt. In cuius exitu, portu etiam, quo Sluſa opibus olim floruit, (quando non minus, quàm tunc etiam temporis Bruga, Hanſeaticis Orientalibus mercatoribus domicilia præbuit) tota Flandria Teutonica cōmendatur. Is, quingentas naues facile admittit, ſicuti & annales Flandriæ perhibent, Anno M. CCCC. LXVIII. paulò ante natalem Dominicum, in hunc portum appulſas centum quinquaginta vno tempore naues mercatorias, inſpectasq; ab oppidanis magno gaudio & lætitia. Verùm hunc portum & oppidum Sluſanum, temporum iniuria collapſum, Brugenſes nunc reſtaurare, & beneficijs augere inſtituunt. Ad oppidi latus, arx egregiè conſtituta, quam Rex militum præſidio tenet. Dux autem Bouillonius, & Galliæ Admirallius, ſiue maris Præfectus, ille prius Heſdini, hic poſterius, ad Quintini urbem capti, & in cuſtodia illic habiti fuerunt. Ea arx, licet nunc ab oppido ſeiuncta ſit, illi tamen antea per ædificia complura, quæ deinde conſultò Brugenſes euerterunt, coniuncta fuit. Sluſanum nanq; oppidum, bellis contra Brugenſes & diſſenſionibus fractum, ad extremum, etiam venditione ipſis à Principe addictum, in eorum poteſtatem deuenit. Acerrimæ namq; diuerſis temporibus commerciorum cauſa, inter Brugenſes & Sluſanos viguerunt contentiones, quarum præcipuæ Anno M. CCC. XXIII. quas motum nouum, ſiue magnum vocârunt, hac occasione ſumpſere initium. Ioannes Comes Namurcenſis, filius Principis Guidonis, patruus magnus Ludouici Comitis, ea tempeſtate portum Brugenſem, ad Sluſam poſsidebat; Simul præfecturam aquæ, quæ hæctenus Prætoris Dammenniſis fuerat, ab Ludouico, rerum adhuc per ætatem imperito, obtinuit, Sluſæq; quæſcunq; vellet merces, maioris etiã ponderis exponere, & vendere, licere ſibi perſuaſit: quæ tamen merces bonaq; omnia, iuxta leges & priuilegia Brugenſiū, Brugas ad ſtatum emporium ſubuehi debebant. Gruem ad exponenda quæcunq; bona, Sluſæ erexit. Ea re, quoniam emporium, quod ſtabile Brugis erat, cum ſumma pernicie Reip. Sluſam transferri videretur, ſumma ope cum Comite agunt Brugenſes, ut ea omnia, quæ abſq; communi terræ conſilio Namurcæo conceſſerat, prorfus & in ſolidum reuocaret: alioqui multò grauiffimam rerum omnium ſecuturam eſſe perturbationem; quam quidem reuocationem, poſtquam fortiter contranitante Namurcæo, obtinere non poſſent Brugenſes, ad arma ſe conuerterunt. Magno numero fortiter inſtructi, Sluſam verſus mouent. Diſtat tribus noſtratis milibus. Ludouicus ea de re certior factus, aduolat Cortraco Brugas, ut, ſi fieri poſſet, impediatur, frangatq; eorum inceptū: ſed fruſtra omnia conatur. Coniurant vnanimiter omnes in Sluſenſium interitum, niſi donationem illam Namurcæo factam, Comes protinùs per nouas tabellas reſcindat, atq; abroget. Et ne omnia priuato videantur agere conſilio, Ludouicum vna ſecum Sluſam ducunt. Namurcæus, qui hæc futura minimè ignorabat, quantis potuit munitioibus, militumq; robore, ſe ad reſiſtendū parabat: mente autem conſternatus erat, quòd vnà cū inimicis ſuis Comitem accedentem videret. Venientem nihilominùs hoſtè facta eruptione acriter excepit: primùm occiſis Signiferis retrocedere coëgit, interfecta aliquanta parte. At, poſtquam reliqua manus acceſſit Brugenſium, longè impar euasit: fuſus fugatusq; eſt, atq; à Brugenſibus captus, ductusq; Brugas in arctiſſimam cuſtodiam, quæ Lapis dicitur. Deſiderauit eo prælio ex ſuis nobiles viros uſq; ad viginti, ſi modò veri ſunt, quos inuenio, commentarij: quo ex numero primarij ac præcipui fuere Florentius Berſalienſis; Simon ab Bruchdammo, & Ioannes Beruagius, omni pœnè vulgari milite, aut caſo, aut fugato, aut ſubmerſo. Ipſe per vrgentiſſimas Comitis preces protectus & ſeruatus eſt, alioqui ab furioſa multitudine diſcerpendus. Sluſam Brugenſes diripiunt, direptamq;, nullius habito reſpectu, per iram incendunt, ac funditus euertunt. Paulò poſt, dum pro Namurcæi liberatione apud Fanum Odomari conuētus indicitur, vbi multa primorum virorū, ea de cauſa frequentia, nuntium, ipſum Namurcæum è cuſtodia elapſum, Brugenſiū animos ad pacem inuitat; Maximè, quia Carolum Galliæ Regem Namurcæo fauere, idq; agi cognoſcerent, ut adempta Sluſa, atq; maris acceſſu, emporio ſpoliarentur, eumq; in modū in perpetuum vrbs ipſorum humiliaretur, nouo emporio ad Sluſam conſtituto. Itaq; ſex, & ſexaginta millium nummum ſolutione admiſſorum veniam à Comite ſibi cōparant. Proximum Sluſæ inter Brugenſes, eſt Dammum, valdè opulentū, populo, & mercatoribus frequentiſſimū olim oppidulū, portu etiam, & vinorū ſtatione celebre, clauis & oſtium maris. claudēbat quippe, & aperiebatur Brugenſibus, mercatoribusq; omnibus oceanum: ſed nunc, incurſionibus Gallorum, in teſtibus etiam Gandauenſium atq; Brugenſium diſſidijs, alienata mercatorum frequētia, in ſtar vici eſt, & portus iam noſtra memoria, nihil eſt aliud, quam foſſa manufacta, per duo milliaria Flandrica uſque ad portum Sluſæ, æſtu concitato tantum modò nauigabilis.





ATREBATVM




ATREBATVM, vulgò Arras, Artesia, cuius gens Iulio Cæsari Atrebates, qua voce vniuersitatem accipit; Recentiores, Latine scripturi, scilicet effinxere pro vrbe, & capite gentis: sed, quam rectè, aliorum esto iudicium. Nos, antiquitatis imitatione, Atrebatum Augustam malleus dicere, sicut ciuitatem pro Repub. vniuersa, Iulius purè loquens, protulit. Vrbs est maxima, & politica dignitate clara, adeoque cum naturali situ, tum propugnaculorum, murorum, & turrium præsidio munita, vt, non nisi longissima obsidione expugnari facilè queat. Intra teli iactum indidem Scarpa præterfluit; Duaco, senis, Dorleno octenis; Cameraco, nouenis; & Ambianis, denis quaternis abest miliaribus. Vrbs ampla, augusta, & spaciofa, imò, Dipolis. Nam pariete quodam intergerino, ac mediano scinditur, ac secernitur. Quarū parte altera ciuitas Antistiti nimirum obnoxia vulgo vocatur: Altera autem, quæ dominum agnoscit, vulgò, male, villa dicitur, ea vrbs est. Interim ciuitas vt vrbe minor, angustiorq;, tamen propugnaculis, molibus, & opere firmissima est, & affabre facta. Vbi Cathedra, fama celebris, Mariana, ac inibi Bibliotheca manu scripta. Libri verò omnes theologici. Omnium primum Antistitem hîc instituit D. illum Vedastum, D. item Remigius Rhemorum Archiepiscopus, anno Domini. D. XXXI. Procedente tempore, ea dignitas in Cameracensium itidem Antistitem transcripta est, sic, vt ex gemino, vnus duntaxat, coalesceret Episcopatus. Atque adè, vt multam ætatem Atrebates huiusmodi dignitate frustrati. Forte autem euenit, vt Samobrini siue Cameracenses Henrico Quarto Imperatori studerent, ac fauerent, hunc cœperat inimicum Pontif. Maxim. Roman. Urbanus II. hostemque Ecclesiæ Romanæ proscriperat, qui aliqua ex parte, ita animaduertere volens in Cameracenses perduelles, ac Imperatoris iam dicti socios, Atrebatibus pristinum Episcopatus honorem restituit, Episcopumq; creauit Lambertū, ad Teruanam tunc Archidiaconum, id, quod contigit Anno M. LXXXV. Egit ibi haud ita pridem Antistitem Antonius Perenotus, hodie Cardinalis Granuellanus, vir insignis, & fama notissimus, quo Episcopatum hunc abdicante, suffectus est in eius locum Franciscus Ricardotus, vir spectatus, & literatus, eloquentia singulari, venusta & grata actione compta, præditus, scriptisq; Theologicis, de horum temporum controuersijs, clarus, verum nunc in fata, cum summo bonorum luctu, concessit, vir æuo, & sempiterna memoria dignissimus. Episcopus autē in hac sua ciuitate Atrebaten. singulare habet imperium, hoc est, magistratus creat, leges irrogat, ius dicit vniuersè, denique tam profanarum, quàm sacrarum rerum Dominus, Patronum tamen Belgarum Principem, ac nominatim Atrebatum Comitem recognoscit, à quo electus est, & à Romano Pontifice confirmatus, vel inauguratus. Annuali episcopatu, tanta, quanta fuerit messis frumentaria, nempe quaterna, vel quina, ac interdum sena Scutorum millia. Ibi ad Diuæ Mariæ, magna religione, & egregio cum peregrinorum lapidum apparatu, certum manna adseruatur, instar lanæ, quod D. Hieronymus ætate sua ad hanc regionem pluuisse, suis in epistolis refert, quod etiam certo, & constituto tempore, nimirum in maxima aëris terreque siccitate, ac sideratione, ad eliciendam, implorandamque è superis pluuiam, commonstratur. Nec deest vrbi etiam sua Religio: nam illic ad secundum compitum, summa cum cæremonia, in delubro lucerna custoditur *διοωρηθης*, vtputa, quam rem sanctam, & cælitus acceptam, antiquitus credunt, cuius occasione iam commodum in urbem transmisi-mus. Ea ampla in primis, ac situ, & opere arx habetur, quam nisi longinqua obsidione non facilè quis capiat. Plateæ hîc apertæ: Forum spaciosum. Vedastinorum Sodalitium cœnobium inibi diuitijs reliquas omnes monasticas societates, longe antecellit, vti percunctatione didicimus. Vestigal enim ei immèsurum, nempè, vicena ducatorum millia, & eo amplius. Deinceps, multa passim templa, apprime ornata, & culta. Domicilia ciuium appositè facta, & commoda, & eo magis admiranda peregrinis, quòd Hypogæa in omnibus, & ipsa affabre facta, pauimento nimirum, aut lithostrato, aut lateritio, eaque altè effossa, de induria. Necessitate enim ea ratione ac via, ciues prouidi, suarum rerum consulunt, qua vrgente, sicuti aliquando vsu venit, Hypogæa illis sunt, quæ alijs cœnacula. Bello nimirum æstuante & hoste mœnia tormentis concutiente, in subterraneis illis sedibus, dum extra telorum omnem sunt iactum, cum omni re sua incolumes, facilius ferunt, tolerantque obsidionem. Hanc gentem, antiquitate, fortitudine, & virtute, vel vnus cohonestat comicus ille Atrebas, summopere ab ipso Cæsare commendatus. In instanti tēpore, nunc præter cæteros claret Christophorus Assim villius, in consilium Regis priuatum adscitus, vir Illustris, Magnificus, spectatus, & doctus, magnificis legationibus ad Angliæ Reginam, & ad pacificationem Coloniensem, superiore anno, celebris. Ac deinde Nicolaus Bornius Antistes designatus Atrebatū, cum rara doctrina insignis Orator, non inuenustus poëta, & luculentus Historiographus. Supremus hîc sessitat prouinciæ Senatus, vnde rectè Mechlineam prouocare fas est, reo actoreque causâ cadenti. Vrbs sic satis frequentata est Atrebatum, quorum alij mercatores, alij opifices. Horū sunt multa Collegia, quorum maxima pars lanariæ studet. Hinc leuidense & textile Atrebas, nulla non in parte Europæ, & cognitum, & acquisitum. Hoc iam inde ab ipso Cæsare caput numerosæ gentis fuit. Ad hæc, Carolo Caluo Imperatore, & Rege Franciæ, & multa post ætate vniuersæ imperabat Flandriæ. Verum, postquā Atrebatum singularis institutus est comitatus, & à Flandrico seiunctus, huius tantum populi metropolis, multis tamen nitens clientelis, est facta, qua conditione, etiam. num cernitur.

ARRAS




- | | |
|----------------------------|-----------------------------|
| A. Le Puffoy. | I. Les Cordeliers. |
| B. L'abbaye de S. Vaast. | K. L'eglise de nostre Dame. |
| C. Sierre. | L. L'eglise de S. nicaise. |
| D. S. Croix. | M. S. Clara. |
| E. S. Jean. | N. Le grand marche. |
| F. Les Carmes. | O. Le petit marche. |
| G. Le gille de S. maurice. | P. Le marche au poisson. |
| H. L'eglise S. Omer. | Q. L'hospital de chariot. |



ATREBATVM, fertilissima Ar-
 re: testis urbs primaria, elegantissima situ, ope-
 re: episcopatu, templis augustiss: quorum
 S. Mariae, & Vedasti praecipua, & no-
 bilis. viris, praes tans.





HANNONIAE HORTVLVS.




HANNONIAM, scribit Lessabeus, olim Pannoniam à Panos cultu, vocatam : deinde, saltum carbonarium: postea, Picardię inferioris titulo, cognitam dicit. Sed tandem Hannoniæ nomen, quo hodie innotescit, ab Hania flumine (quod mediã regionē fecat) obtinuit. Haniault, incolæ, & Henegaw/ Germani, adpellitant. Habet hæc Hannonia Flandriam cum Artesia ab Occidente; Brabantiam à Septentrione; qua orientem Solem aspicit, sunt illi iidem Brabanti cum Namurcis, & Leodiensibus vicini; à Meridie, Campaniam, Gallorum Regis Prouinciam attingit. Regio est, si quæ aia hoc tractu, nemoribus, lacubus, fontibus irriguis, pratis & pascuis admodum amœna. Gens bellicosa, & erga Principem, fide & officio incomparabilis. Habet in longitudine plus minus viginti, in latitudine sedecim milliaria. In eo ambitu comprehendit viginti quatuor oppida, & plus, quam nongentos, quinquaginta pagos, aut villas; vt Guicciardinus auctor est. Robertus Cœnalis, in ea bis mille ducentas villulas, turri campanaria (vt vocant) insignitas, numerat. Titulo Comitatus hodie ornata est: & habet in se principatum (vt hodie dignitatis vocabulum vulgò sonat) octo comitatus, duodecim Pares (vt hodie appellât) viginti duos Baronatus, 26. Abbatias, aliosq; dignitatis titulos, quæ omnia apud Guicciardinum videre licet. Vrbes in ea primariæ sunt, Montes & Valencenę: hæc ad Scaldim flumen, qua id nauigia ferre incipit, sita, amplitudine & vallatis mœnibus inelyta est. Plebs mercimonijs & negotiationibus, vt plurimum indulget: magnumq; sibi emolumentū, ex eo panni genere, quod vulgus, fuffetas, & in hac vrbe magna quãtitate textitur, atque hinc, in remotissimas orbis regiones auehitur, parat. Illa, fluuiolo Trullæ infidet, mediumq; regionis ferè occupat. Vrbs admodum munita, atq; aduersus hostium insultus tutissima. Plebs opulenta, plerunque rem faciens ex telæ quodam genere, quod vernaculè, Sayam, adpellant: cuius ibi ingēs copia conficitur. Sunt præterea Condatum, Halla, Angia, Malbodiū, Auesne, Bellus mons, Chimacum, Quercetum, Binchium, Mariæ Caroli V. Imp. sororis à curis diuerticulum, atque exstructis ibidē ædibus plane magnificis, quondam in delicijs habitum, sed postea ab Henrico II. Gallorum Rege, incendio & ruina fœdatum. Est item Bauacum, vulgariter Bauais, quod nonnulli Baganum, vel Bagacum Ptolemæi esse arbitrantur, nonnulli illud Belgium Cæsari, in suis commentarijs dictum, volunt. Hubertus Leodius tamen, non existimat Cæsaris temporibus tam potens fuisse, sed sub D. Constantino Imperat. potius floruisse: idq; ex numismatibus, quæ ibi magna quotidie copia, huius imagine signata, effodiuntur, colligit. Visitur in huius foro columna lapidea, sub qua ab incolis inchoare omnia eiusmodi viarum capita referuntur, quæ ab eo loco, in omnes Galliaę partes, & sublimi atque recto tramite exporriguntur. Has Brunehildi opera constratas, fama loquitur. Eius quoque nomenclaturam, in hunc vsque diem seruant. Chemins de Brunehault, Gallicum vulgus: Germanicum verò, *Die Casete* vocat. Durant vsque hodie harum viarum plurimis in locis vestigia, sed interrupta. Hæ id præsertim miraculi habent (vt scribit Bouillus) quòd sublimiores sint vicinis vtrinque agris: quòd inter insignia Galliaę oppida rectissimum iter conficiunt: quòd silicinis lapillis, qui etiam vicinis in agris defunt, sternuntur; adeò, vt vel ab humo ebulliuisse silices, vel æthere sublimi eos pluuisse, quis iudicet, vel alia, quàm humana manu & opera, vndecunque toto orbe lectos in eiusmodi viarum ruderationem quis demiretur. Sunt quoque in huius regionis limite versus Mosam fluuium, quã in Galliam iter patet, Carolomons, Marieburgum, & Philippouilla, in hoc tractu, contra Gallorum irruptiones fortissima præsidia; à Carolo Quinto Imperat. Maria eius sorore, & Philippo eius filio exstructa & denominata. Diues est hæc Regio ferri & plumbi fodinis. Effodiuntur hic quoque diuersa marmorum genera, vt sunt, album, & nigrum, item pluribus coloribus variegatum, ad Regum & Magnatum ædes & sepulchra ornanda, valde accommoda. Calx viua, hic etiam ex terra eruitur. Item carbones lapidei & atri, bituminis indurati natura; quibus incolæ loco lignorum in extruendo foco vtuntur. Conflantur hic quoque vitreæ illæ laminæ pellucidæ, quibus omnem cæli iniuriam, ex templis & ædibus propellimus, hæque præ alijs, quæ alibi locorum fiunt, palmam præstantiã ferunt. Omne item vitreorum vasorum genus & supellex hic conficitur. Vide plura apud Ludouicum Guicciardinum, & Iacobum Lessabæum, qui peculiarem libellum de hac regione conscripsit.

Hubertus Thomas Leodius quoque in suo, de Tungris & Eburonibus libello, non contemnenda, de hac ipsa Hannonia, recenset.

NOBILIS HANNONIAE COM
Pays de Haynault tenu

ITATVS DESCRIPTIO.
de Dieu et du Soleil.



Venus hinc in unum, Hannoniae Hortulus, tanta Celi, acrique amoenitate; tanta rerum omnium et necessariarum, et delictis splendissimis inferuentium, copia, undiq; confertus, et amoenissimus cultissimisque, totius propemodum Europae regionibus, optimo iure, praeferrere merito debeat. Etsi enim ambitu tantum suo, decem et septem, tam in longum, quam in latum, miliaria, colligat; urbes tamen, vallis, muris, propugnaculis habet munitissimas 23. Baronias, publica militie signa, seu vexilla, gestantes, totidem Comitatus. 4. Patres, quos vulgo, Pares Regionis nuncupant 12. Abbatis 22. Pagos, turriteris illis fere Ecclesijs 2200. is, qui campanarum carent, omisso Primarie dignitatis Princeps Chimay.

Le ioy & plaisant Jardin d'Haynault est doué de si bon air & telle abondance de toutes choses, tant nécessaires à la vie humaine, que seruantes au plaisir & delectation d'icelle qu'à bonne raison doit estre preferé aux plus plaisantes & cultiues Regions de l'Europe; Et combien qu'il ne contienne en son circuit, longueur & largeur, que 17. lieues à toutesfois en son contour vingt & trois Villes, bien munies, de Portes, Bouleuvers & Murailles; Barons portants Banieres en temps de guerre aussi vingt & trois; Quatre Contes; Peres, que le vulgaire, appelle Pairs de la Prouince, douze Abbayes, vingt & deux Villages, ayants docher 2200. sans les Hameaux, n'ayants docher; une principauté de grande autorité: Nommé, Chimay.



MONTES



ONTES, Hannoniæ vrbs potēs & ampla, muris, propugnaculis, & aquis probè instructa, de qua in hūc modum Iacobus Lessabæus, in Hannoniæ descriptione Iulium Cæsarem, rebus alioqui fœlicissimè gestis, tradunt obsidione Belgenfi multa clade defatigatum, aliquantisper supersedisse, intereaq; eo loci penetrauisse, vbi in edito colle Pani fanum erat, ac mox eum montem vallis, & ligneis propugnaculis, vti earum rerum materia suppetebat, velut præsidio futurum, instruxisse. Porrò, Hunnis, Pannonijs (quibus à Pane nomen remanserat) Rhetijs, & id genus fortunæ adiuratis viris, qui tum palantes, suo quisq; more agebant, huc summum erat, oraculi gratia, confugium; donec nominatissimi, terra mariq;, Ducis Iulij aduentu, ex fano castrum haberi cœpit. Post supremū Brunulphi diem, qui eam arcem obtinuerat, traditæ rerum habenæ Alberico, Sigiberti Austrasiorum Regis (Austrasiam inter Oceanū, Mosam, & Scaldim tū posuere) ad recuperandas mortuo Dagoberto possessiones adiumento, vnde & filiam eius sibi matrimonio copulavit. Alberico tandem libuit ociū arcis instauratione oblectare, maximè autem turris, cui ex suo nomine vocabulum indidit, quanquam alijs placet ad Albonem eam referri. Secus castrū locus erat, quem sanctæ habitationis gratia, Gillenus Antistes Valletrudi designarat, vbi iam miraculis quoq; conspicua erat. In eo Sigibertus ædem Deiparæ construxit, sanctimonialesque ex Valletrudis ædícula, opima sorte asciuit. In Arce Montana, Prætor ex ordine Torquatorū, principem agens, ius dicit, noxios, & patria interdictos ciuitate donat. Penes eundem creandi in annos singulos Montani Senatus, sub ferias Ioannis præcidanias, Mense Iunio, ius est. Tradunt, Carolum Magnum donasse Montes Metropolitanò munere, cæsareisq; priuilegijs firmasse. Iam ex ipsa vrbs nomenclatura intellectū oportuit, præcipuam vrbs faciem, nunc in colles affurgere, nunc vallibus deprimi. Ad fori crepidinem fons est, magno totius populi cōmodo, procul ductus. Nam supra Dionysij in Broceria, paludes, ortum habet, ligneis fistulis grauisima arte compactis, quæ fluuium Haniam, & citeriorem syluulam trāsmittunt. Alluitur oppidum Trulla fluuio, paruo admodum vsui inuehendis, euehendisq; mercib. nisi huic rusticana ex superiore parte palus, suas aquas hebdomadatim sceneraret. Primo, quàm Montes reliquit, lapide, Trullæ immiscetur Hania, hincq; toto nomine ei Trulla cedit, Condatum vsq;. Vrbs paucis supra sæculis, & virorum & ædium frequentia, ad maximum numerum locu pletata, opibus, quantum facies ipsa pollicetur, non inferiorib. Frequēs ad Francfordianum & Anuerpianum mercatus profectio, idq; faginaræ negotiationis gratia, qua re textrarum ingens copia. Oppidum, si quod aliud, natura & propugnaculis munitissimum, fossa circumdatum, & vna haud temere parte obsidionis impatiens. Gēs ab huius ætatis vitijs, ne dicam, prorsus aliena, sed tamen comitatis, & beneuolentiæ magistra; in tractandis amicis, & excipiendis hospitibus, summam eius agnosceres humanitatem. Imò, mecum contenderes, quorundam ædes, munificentie ac liberalitatis officinas potius, quàm priuatas domos, optimo iure censeri posse. Vt autem templorum Anacephalæosin traham in compendium: Curiata sunt, Valdetrudis, Germani, Nicolai, Elizabethæ, ac rursus Nicolai in suburbanis, Bertæ montis appellatione, circumlatis cum eo, quod est Valdetrudis Xenodochio finitimum, Beghinagium dicunt. Cæterum habet S. Franciscus sodalitium virile, habet item fœmineū. Augustino sacra est, quæ dicitur Vallis Scholarium. Eidem Antistiti addictæ sunt etiam virgines, quas à pullis vestibibus vulgus Nigellas nuncupat, haud tamen nigris moribus. Nam vita integra, omnem sinistram opinionem sustulit. Magdalenæ sacellum est, cum publicis ædibus, excipiendis puellis, quæ sicut exhibuerunt membra sua seruire immundiciæ ad iniquitatem, ita decreuere impendere iustitiæ in sanctificationem. Harum laboris, ac ærumnarū hic scopus est, ad stare, succurrere, inuigilare pestilente lue correptis. Qua in re strenuam nauant operam, vbi malū, volentibus superis, grassari cœperit. Proximus est locus eorum, qui tertium Franciscanorum ordinem indepti, Minimi vocantur. Egressis vrbe, offert se iucundissima deambulatio, & ferme quaq; versum ornatissima suburbia, vt ne dicam de syluis, in quibus nec frondium virorem, nec auium garritum desideres, cum riget æstiuus hirsutus campus aristis.

MONS.



MONS, Hannonia vrbs potens & am-
 pla, a Carolo Magno Metropolitano mu-
 neze et cesaris priuilegijs donata, Trulla
 flu. allitur, propugnaculis, et natura loci,
 munitissima, Gens humana & opulenta,
 Sagnarica negotiatiōi dedita.






VALLENCENAE.



VAM hodie urbem Valencenarum dicunt, arx olim fuit, quæ, ut in medijs collocata aquis, in quibus multi versarentur cygni, primùm cygnorum vallis, successu deinde rerum, & abundante multitudine, cum in urbem excreuisset, à Regionis incolis, Vallencenæ nomen habuit. Post Montes, vrbs in Hannonia, primæ notæ: eam Scaldis influit, Bauaco distantem sex milliaribus, Tornaco septem, Auenijs, nouem. Etiamnum illic, ea vrbs regione, quæ Tornacensi & Duacensi portis, interiecta est, intra Scaldim, & ipsos intrinsecus muros, videas antiquæ Arcis reliquias, ut turres, & nonnulla quædam. Situ, mœnibus, & fossis profundissimis, hæc vrbs munitissima est, & præter hæc, aqua per machinas affabrè confectas, longè, lateque ab incolis in planiciem diffundi potest. Ab altera parte Mons, ita eam munit, ut propemodum inexpugnabilis habeatur, nec verò potest, nisi binis castris, obsideri. Magna & amœna vrbs, pulchris ædibus, cœnobijs, atque templis augustissimis plena, quorum duo, vnum à Deipara Virgine; alterum à diuo Iohanne nuncupatum, reliquis præcellunt. Posterius hoc à Pipino Gallia, atque Austrasiæ Rege, conditum. Cùm autem ditissima hæc sit ciuitas, tum ciues quoque habet ita mercaturæ studiosos, ut & domi, & foris plurimum negocietur, artesque varias, & complura opificia tractent, sed imprimis eius conficiendi texti, quod lingua gentis, dimidiatum ostadium, quodque inuersum appellatur. Hic in lucem prodijt Anno Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo septimo, Magni illius Caroli Burgundionum Ducis, in prælio, apud Nancium cæsi, filia, quæ totius Belgij, hæreditario iure, Domina, Maximiliano exinde Romano. in Regi coniuncta, cum sobolem ex eo numerosam peperisset, Belgium Austriacæ ditioni coniunxit. Hic plures conditi sunt nobiles, ac Principes viri, quàm vlllo alio, totius Belgij loco, id, quod hodie magna ipsorum mausolea declarant. Habet verò ista vrbs Prætorium, atque augustalem statum, ab Hannoniæ Comitatu seiunctum, quo fit, ut in iuris disceptationibus ab eius tribunali, non Montes Hannoniæ, sed Machlineam statim prouocetur. Milliaris à Valencena interuallo, situm est prædiues illud Cœnobium, cui Viconia nomen, vbi per amplam & nobilem videas Bibliothecam, facultatis, & disciplinæ cuiusuis, libris instructissimam. Intra Vallencenas & Cameracum, non longe à vico, nomine Happa, est & alius vicus, Auenia sicca, nuncupatus, apud quem effoditur insignis ille candore lapis, à Leone quoque Baptista Florentino, in secundo, quem de Architectura conscripsit, libro, celebratus. Hic lapis, ob loci vicinitatem, vulgo Auenianus appellatur, candore Marmoreo, & ad incisionem facilis, ferra diuidi, & quouis instrumento, ut neque assulatim frangatur, tractarique potest. Ex eo itaque egregia sanè opera, præcipuè quidem sculptoriæ artis, permulta fiunt: sed quia natura tenerior est, ac proinde frigori, pluuiisque australibus valde obnoxius, incolæ regionis artifices, ne sua opera corrumpèrentur, rationem excogitarunt, qua ipsum oleo, vernigine, aliisque temperaturis imbutum, confirmarent, ac veluti crusta solidiore, aduersus omnes aëris iniurias munirent.





CARLOMONTIVM.



CARLOMONTIVM, siue, Mons Caroli, angustum est Comitatus Namurcensis oppidulum, firmissimæ arcis instar, Marieburgo vicinum tribus milliaribus, Namurco septem, pulchrè admodum in monte collocatum, ad sinistram fluminis Mosæ ripam, quo in loco prius Giuetum, vicus nõ ignobilis, situs erat. Nomen accepit à Carolo V. Cæsare, qui volens hoc ditionis atq; Imperij propugnaculum obijcere, Marieburgo à Gallis tum occupato, id condidit Anno Domini M.D.LV. Hoc namq; tractu solertia & præmonstratione quorundam, etiam à Rege Philippo Arces & loca munita sunt excitata, quemadmodum & à Maria Regina Hungariæ, non procul ab eo fluuiio, qui ad Vireium oppidum in Mosam fertur (quem ipsa nauigationi statuerat idoneum reddere retatione) de suo nomine, munitissimum oppidum conditum est; quòd hæc loca nullis propugnaculis munita, hostium incurfionibus semper paterent. vnde Martinus Rossemus Gallico stipendio Francisco Regi deuinctus, dum exercitum in Galliam alia via è Geldria per Brabantiam ducere non posset, hæc fecit expeditionem: quam, quia collimitia hæc nullis arcibus adhuc essent firma, propter locorum asperitatem & horrorem, quibus satis tuta & defensa credebatur, nemo eum tentauit impedire. Atq; hæc, in hisce locis tam multorum munitissimorum oppidorum recenti memoria excitatorum, caussa præcipua fuit.

LANDRECIVM.



LANDRECII situs ad Sabim est, tribus ab vrbe Querceto milliaribus, sex à Valencenis, Exiguum id quidem Hannoniæ oppidum, sed firmissimum, Et quod fortiter Carolo V. Cæsari Anno M.D. XLIII. restiterit, Gallis ipsum occupantibus valde famosum. Id exinde Galliæ Rex Duci Arschothano, cuius erat ditionis, restituit, cum quidem insequente anno Crepinij pax conciliata esset. Sed ita post Cæsar cum Duce transegit, vt oppidum hoc in suum ius, ac dominium transcriberet, Duci eius nomine compensationem ex æquo & bono faceret.

AVENIAE.




AVENIAE, vulgò Auesnes, situ occupant fluuiolum Geprã, Landrecio disitæ quatuor milliaribus, Melbodio totidem: Splendidum hoc & valde firmum Hannoniæ oppidum. Comitatus, vt vocant, dignitate censetur. Id, cum nuper adhuc in dominio esset Arschothani Ducis, Hispaniarum Rex æqua ei compensatione facta, sibi vindicauit. Cum enim ad Gallici Regni limites pertineat, domini potentioris defensionem atq; tutelam, necessariam habet.

BELLOMONTIVM.




BELLOMONTIVM, Indigenis, situs amœnitatisque caussa, Beaumont; Cimaco, & Binsio abest quatuor milliaribus; Montio, septem; in pulcherrimo quodam monte, abs quo & nomen habet, in Hannonia situm. Paruum id certè oppidulum, sed amœnum & venustum, iuris nunc quidem & domini Ducis Arschothani, olim portio hæreditaria secundi filij Hannonum Comitum, ex quo & Comitatus dignitatem habet. In eo, tempore ab hinc aliquanto, ante has Belgicas calamitates, Dux Arschothanus vt plurimum agere consuevit.

CHARLEMONT.




CHARLEMONTIVM, oblongum, et munitissimum Oppidum in Comitatu Namurcensi, Mo: se propinquitate celeberr.

AVESNES.




AVENIAE, vulgo, Avesnes, insigne Hannoniae Oppidum ad hostiles propulsandos conatus, munitiss.

LANDRECHIES.




LANDRECIVM, aquis et propugnaculis firmum Hannoniae Oppidum celeberrimum.

BEAUMONT.



BELLOMONTIVM, Indigenis, Beaumont, illius Comitatus titulo Hannoniae Oppidum celeberrimum.





THE GREAT TREE

THE GREAT TREE



THE GREAT TREE

THE GREAT TREE

PHILIPPOPOLIS.



PHILIPPOLIS, vulgò, Philippe ville, appellationem cum ortu Anno à Christo nato M. D. LV. à Philippo Hispaniarum Rege sortitum, vnus à Carlomontio, siue Caroli Monte, Marieburgo sesquimilliaris interuallo distans, oppidum est, si quodpiam aliud, firmissimo murorū ambitu, propugnaculis, machinis muralibus, cæterisq; omnibus, quæ ad diurnam obsidionem perferendam necessaria sunt, munitissimum. Eò namq; abs Hispaniarum Rege excitatum fuit, vt inuictum esset aduersus Gallos Marieburgum tum occupantes, vallum ac propugnaculum. Medio latam habet aream, nundinis hebdomadatim celebrem, ad quam omnes oppidi plateæ, decenti ornatu, tanquam ad centrum conueniunt.

MARIEBURGVM.



MARIEBURGVM, à Maria Hungariæ Regina, Caroli Quinti Cæsaris iussu, paulò post id tempus conditum & nuncupatum fuit, quo cum exercitu Gallico Longeuallius & Rossemius Duces, hic Geldrus, ille Gallus, per mediam Brabantiam Lutzelburgum penetrarunt, Anno nimirum Domini M. D. XLII. Situm est inter duos fluuiolos, nomen alteri Gallico idiomate, Alba, cui propinquum est, ad teli iactum; Alteri Nigra, abs quo, dimidiato milliari distat. Abest Cimaco miliaribus quatuor, Montio vndecim. Inexpugnabile id oppidum est, & propter situm, & propter mœniorū firmitatem, in quibus ita quatuor propugnacula habet erecta, vt figuram oppidi quadrangulam reddant. Hic tamen, vt alibi, & fidele militum præsidium, & sufficientem comæatus atque annonæ copiam requiras, neque illum præficias, per quem id accidat, quod Anno millesimo, Quingentesimo, quinquagesimo quarto, cū quidem ignauia, imò, vt fama obtinuit, Rifsartorum domini prodicione, id oppidum in potestatem Gallorum deuenit, summa cum ignominia Præfecti, & cum grauisimo istius Regionis detrimento. Verùm à Gallis, per eam pacificationem, quam anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo nono, cum Belgis transegerunt, Regi Hispaniarum Philippo, restitutum fuit.





CIMACVM.



CIMACVM, territorij Namurcensis opp. ad Albam flumen in nemore situm, ab Auenijs miliarium sex interuallo distat: Ciuium ædes habet sumptu atque splendore mediocres, & Principis palatium vna cum hortis mirum in modum elegantibus, & amœnis. Principatus etiam titulo insigne est, ex quo Arschotanus Dux, cuius est dominij, Principis adpellatione salutatur. Oppidum hoc bellis, superiore paulò tempore cum Gallis gestis, non semel vexatum ac dirutum, nunc ita restauratum est, vt longè, quàm antea pulchrius sit, atque firmitus. Olim, ni fallor, edidit Ioannem illum Frossartum, qui tam grauitè sui temporis historiam, lingua populari conscripsit.

VALLECVRIA.

VALLECVRIA, egregium Comitatus Namurcensis oppidulum, à Metropolitana Namurcensi vrbe, septimo milliari distans.



LIBRARY

M. J. B. B. B.

M. J. B. B. B.

M. J. B. B. B.

DORDRACVM




DORDRACVM, peruetustum Hollandiæ oppidum, ciuitas V Viltorum multorú opinione putatur, primú in Statibus Hollandiæ locú occupat, quatuor fluminú concursu, in Insulam redactum, Mosæ nimirú, Vahalis, Lingæ, ac Meruæ, quæ idem Anno M. CCCC. XXI. à continenti abroferunt, Brabantia enim cohærebat. Hinc quidam ad quatuor flumina situm scribunt. Sic enim effigiem oppidi, ac situm, cum Philippus Hispaniarum Rex Anno Christi M. D. XLIX. in id primú possessionem capturus ingrederetur, exprimi & imagini hoc distichon adscribi iussit.

*Me Mosæ & Vvalis, cum Linga Meruæq; cingunt,
Æternam Batavæ virginis ecce fidem.*

His igitur fluminibus in insulam redigitur. contigit namq; vt Vvalis ac Mosæ fluuij, vna cum mari, continentem, in qua hoc oppidú iacet, atq; Brabantia iungebatur, inundarent. quã verò latè, crudeliterq; satis inde liquet, quòd vicos, seu Pagos septuaginta totos submerferint, absorpserintq;. Numerus eorum, qui in ijs, simul cum bonis omnibus perierint, æstimatur vltra centum hominú millia. Paulatim tamen, huius absorptæ terræ quædam particulæ, solitis eius Prouinciæ artibus, & vt fert hominú eius loci vsus atq; industria, recuperantur. Pisces varij generis, Merua ijs in locis habet: Strutionibus, & Salmonibus, veluti circum Campenam, Zuderzea, quæ dicitur, planè scatet. Itaq; Dordracú quinq; milliaribus Gouda, septè Vltraiecto, distat. Amplú est, pulchrum, ac potens; & elegantioribus ædificijs insigne. Summum templú, quod B. Mariæ virgini est sacrú, oculos mira elegancia, & pulchritudine pascit. Quicquid vini Rhenani in Belgiú adsportatur ex Germania; quicquid item frumenti ex Geldris, Cliuis & Iuliacensibus, atq; aliunde mediterraneis ex locis, id omne in hoc oppidum, tanquã Emporium, generali Stapula, vt vocant, illustre, transfuehitur. Quo nomine, tú alias ob causas id creuit, & hominú multitudine, perquam est frequens. Ceterum, quia subinde nostra in hac vrbium enarratione necessariò Stapulorú mentio incidit, necesse est, maioris lucis gratia, vt Stapuli nominis vim atq; originè, & rei naturam, quam ipsum indicat nomen, declaremus. Itaq; Stapulú ab origine Latina, Gallis & Germanis in ea significatione vsurpatú nomen, indicat locú, Principis munere ac priuilegio publicè designatú, quò importetur vinú, frumentú, aut aliud quoduis exoticæ mercis genus. Sic Atrebatum ferunt habere vini Gallici, quod cõtinenti in Artesiam vehatur, Stapulú. Ex quo necesse est mercatores eò prius vina deuehere, quàm ad alium eius Prouinciæ locú. Postquam autè ad tempus ea in foro venú exposita illic habuerint, tum demú possunt, quòd ipsis visum fuerit, exportare, ac distrahere. Middelburgú apud Zelandos Stapulum habet vini Gallici, Hispanici, Lusitanici, aliarumq; Regionum, ex quibus eò, per mare vinú importatur. Itaque nautæ, & negotiatores, tenentur ad eam ipsam vrbem vela contrahere, ibique in littus vina exonerare: postremò, exsolutis, quæ debent, vectigalibus, possunt, quòd lubet, cù sua merce, vela facere. Stapulorum Dordracenæ vrbis, priuilegia in eo potissimum sunt, quòd omnes, qui Rhenò, aut Mosæ, frumenta, ligna, vina, aut aliud mercis genus illuc vehunt, suas illic naues in portu, littoréue exonerare debeant, & exoluto portorio, suas merces in ipsius vrbis, aut ciuium naues imponere, alioqui, vt eas auerant, cum publicanis transigere. Tametsi autem huiusmodi priuilegia multum hodie sint inter se diuersa, prout sunt merces, & quæ illa impetrarunt, vrbes; ex prima tamen institutione ac origine, Stapulorum nomen retinent. Ita passim in toto Belgio Stapulis pro locorum commoditate atque vsu constitutis, magna ex eis cum publicè, tum priuatim ad vnumquemque, summa cum Principis gratia, vtilitas redit.

DORDRECHT.





DELPHIVM



DELPHIVM, Celeberrimum in Batauis opp. secundum in Hollandiæ Statibus locum obtinet. Gentis ipsius lingua ex frequentibus Mosæ alueis eò deductis, nomen sortitum. vulgari namq; sermone, fodere, siue alueū & fossam ducere, *Delffen* / indigetant. Duobus milliaribus Roterodamo, Erasmi illius doctissimi patria, vnico verò, eoq; exiguo, à maximo, & venustissimo totius Europe pago, Haga comitis distat. Conditū olim ab illo Gothifrado Lotharingiæ Duce, cognomento, gibbo, Anno salutis M. LXXV. qui ciuitati imposuit Castrum, seu præsidium, in quo & habitabat, cuius iam nulla extant vestigia; & cum annis quatuor per tyrannidem Hollandico potitus Comitatu fuisset, à Theodoro, eius nominis quinto, legitimo Hollandiæ Comite victus, è comitatu tandem expulsi, veruto Antvverpiæ suffossus est. Id oppidum copiosum ac lautum, valido murorum ambitu cinctum, vallo, ac propugnaculis firmum, sed & reticulato sæpimento, muri instar, valde munitum, aqua etiam ealatitude ambitur, quam vir, alioqui fortissimus, lapidis iactu superare haud queat. Varijs Euripis atq; canalibus, ad magnam ciuium opportunitatem passim distinctum, & aquis mirificè instructum. Vnde quemadmodum in ædium, & domesticæ supellectilis nitore atque mundicie, communi eorum sententia, qui varias mundi perlustrarunt partes, vni Hollandiæ palma conceditur: ita in nitidissima Hollandia, primas eius laudis inter omnes eiusdem territorij vrbes, soli attribuunt Delphiò. Quò etenim pluuia frequentior, quæ alias defœdare vrbes vt plurimum solet, eò venustius huius oppidi vici & plateæ, ob situm nimirum elegantem, nitent, cum ea occasione sordes omnes ad canales & aquas, per opportunè transmittat. Inhabitatores ipsi peculiari quadam, & innata humanitate, ciuilitate morum, ac politia culti, Mercaturam & Lanificium exercent, sapidam ac præstantem cereuisiam coquunt, remotisque in locis distrahunt: vnde eius opificij, imò negociationis dixeris, ciues sunt opulentissimi. Aedificia tam publica quàm priuata, sumptuosa & superba. Atque vt prius ab his, quæ religioni nuncupata, exordiar, Primaria vrbs Ecclesia, quam nouam appellitant, cuius prima sunt posita fundamenta, M. CCC. LVI. salutis anno, Basilica augusta & elegans, D. Vrsulæ sacra, præstantissimis summorum artificum Hemskerchij nimirum, Francisci Flori, Antonij Blocklandt, & Petri cognomento Longi, picturis eleganter ornata, elegantiturgi remotissimè sese visendam exhibet. Veterem autem ecclesiam D. Hyppolito dicatam, Hemskerchij, & M. Ioannis Schori manus, Vltraiectini quondam Canonici, cuius visendæ in tota passim Hollandia, conspiciuntur picturæ, decenter exornant. Sed, quid de S. Agathæ cœnobio referam? siue enim structurarum magnificentiam (Principes namque viros, hospitio frequenter excepit) siue redituum & annui census opulentiam, siue templi ornatum consideres, singula hæc, narrationis longè superant fidem. Eius namq; virginis cœtus Basilica, propter arctam Musij, eiusdem cœnobij Præfecti vigilantissimi, & Hemskerchij Harlemicolæ, illius quidem poëtæ clarissimi, huius verò pictoris celeberrimi, amicitiam, tota intus exquisitissimis picturis cõtecta, vestitaque erat. Spaciosum & amplissimum est oppidi forum, cui, sicut Orientali in latere, per augusta & præcipua Basilica, ita in occiduo senatoria domus, splendori longè maximo existit, præcelsa turri, & in ea campanaria harmonia, conspicua, qua celebrium nuptiarum tempore, dum itidem forum nundinis hebdomadarijs frequentatur, lepida exercetur musica, quæ, vti epulantes in nuptijs, iucundissima suauitate exhilarat, ita vendentes, ementesque in forum allicere videtur. In suburbijs, omnis generis mercatura exercetur, domus sunt elegantes, hospitia ampla, quæ hospites, si re pecuniaria bellè instructi, lautissimè excipiant. Atque hæc blandientis fortunæ Delphensium, arcta & compendiosa sit quædam narratio. Verùm, cum nihil sub sole firmum, nihil constans, ac stabile: in fausti subinde casus, eius fœlicitatem interruperunt, dum rabidi Martis, & implacabilis Vulcani furores, præclaram hanc urbem turpiter quandoque deformarunt. Ab Adelberto siquidem Bauariæ, vicesimo sexto Hollandiæ Comite, graui obsidione pressa, priuilegijs, murisque priuatur. Sed à subsequenti statim Comite, Guilielmo Bauariæ, priuilegia ciuica ipsis restituta sunt, & mœnia restaurata, ob acquisitam, Delphensium ope, contra Frisones victoriam. Anno deinde M. LXXXVI. in Maio, ipso S. Crucis die, statim à prandio, miserando infortunio hæc vrbs circumuenitur. in ea enim, cum improviso casu grauissimum erupisset incendium, vtramq; Parochialem ecclesiam, nouam & veterem, Xenodochia, & ducentos, vltra mille, focos, absumpsit, vix quinta vrbs parte remanente illasa. Mirabile verò, quod in tanto illo incendio à pluribus conspectum, neq; olim fortasse à primis illis naturæ obseruatoribus, neque ab ijs, qui nostro sæculo vixerunt, alibi animaduersum fuit. Plinius quidem & alij, nō postremæ notæ auctores, ceu rem magnam, & obseruatu imprimis (vti re vera est) dignam tradunt, ciconiarum sobolem, ætate graues, & ad cibum quærendum viribus defectos parentes fouere, atque alere: sed, quod ab iisdem animalibus exemplum id temporis editum fuit, & maius quiddam est, & maiore admiratione dignum. Ad hanc urbem, loco ad huiusmodi volucrum pastum perquam idoneo sitam, magnæ quotannis earum cohortes nidificaturæ conuolant. Incidit autem hæc incendij calamitas in diem Maij tertium, quo tempore iam ciconiolæ grandiusculæ sunt. A multis igitur illic visum, ac obseruatum fuit, parentes, cum flammam & natis, & nidis instare cernerent, primum omni ope adnexas, vt natos flammis eriperent; cum deinde corporis mole grauiore gestare nō possent, eos alis, quantum poterant, contexisse, aduersusque incendia & flammam propugnasse, ad extremum, tanquam superstitibus eis esse recusarent, incendio vnâ consumptas, mori sustinuisse. Hinc oriundus erat scelus ille Dauid Georgius, abominabilis conditor sectæ, de qua plura in Indice. Quod quidem in huius vrbs contumeliam minimè narratum putandum; cum vicissim viros honorandos ac suspiciendos plurimos genuerit, quales imprimis fuerunt Aegidius Poëta, & Ioannes Grammaticus. Multo verò omnium præstantissimus Iodocus Sasboutius, clarissimus vtriusque iuris Doctor, Cancellariæ Gelricæ Præses à Carolo Quinto constitutus, & simul Poëta elegantissimus, cum ad extremum iam vitæ appropinquaret, hoc sibi ipse Epitaphium conscripsit, quod hodieq; in eius tumulo, apud Arnemium primario in templo conspicuū, huc, propter elegantiam & pietatē, adscribere visum est.

*Siste gradum: quod es, ipse fui fortassis eris cras
 Quod sum, cadauer putridum.
 Olim Iodocus eram Sasbout: me misit in auras
 Delft, clara pars Batauia.
 Ter denis patria casus decidimus annis,
 Pars Consili haud ingloria.*

*Deinde & pacatis Præses ius Casare Gueldris
 Dixi, iubente Carolo.
 Quid tituli? quid opes? quid nunc prudentia prodest?
 Mors summa miscet inferis.
 Sola manet virtus homini post funera, solam,
 Dum viuus, hanc ama.*

Eadem etiam ciuitas inter cæteros eruditione præstantes viros habuit Cornelium Musium, virginis sodalitiij ad S. Agatham Rectorem, virum rara morum probitate, Theologum insignem, Poëtam elegantissimum, & verum Dei, in fœlici hoc nostro æuo, martyrem.

DELFT




DELPHVM
vrbs Hollan
diæ cultissima,
ab eiusdem
nominis fossa,
vulgo, Delfft
appellata.



ENCKHVSA.



ENC HVSA in Batauis, etsi si magna vetustate, celebritate tamen nominis præstans, ac no-
 bile oppidum; cognominatum Enckhusa, quasi *Enckelhusen/* vel, *Einichhusen/* Aliquot
 casæ, quæ situs opportunitate, ob halecum nimirum capturam, & salis confectio-
 nem excitatæ, Ecclesiam habebant, atq; pastorem, qui peronatus, vili, ac rustico habitu,
 quo & ceteri omnes communiter utebantur, incedebat. Hæc autem casæ, eum Hollandiæ
 locum occupabāt, qui Frisiam respiciens, canalibus ac foueis passim distinctus, primis ca-
 sarum habitatoribus, non ita difficilem præbebat accessum. Qui negotiorum gratia, ali-
 quò fortè ituri, asserem secum ferebant, quo obuias passim aquas, quasi pontis opera, superabant. Sed hæc nunc
 omnia loca æstuosum mare, *Züdersee/* vulgò, absorbet, quod iuxta oppidum latitudine est trium milliariū Ger-
 manicorum. Circa annum autem Domini M. CCCC. XXVI. re, opibus, & ædificijs crescere cœpit Enckhusa,
 vt tum primum VVaterlandiæ urbibus annumerari cœperit, & nunc oppidum ad prime concinnum ac elegans,
 copiosis vbiq; aquis instructum, muris cinctum, & propugnaculis validè munitū; ab Anno salutis, M. D. LXX
 II. publicis, priuatisq; ædificijs longè magnificis, non citra spectantium admirationem ornatum. portum habet
 perelegantem ac valde capacem, vt arte omnino mirabili, ita sumptibus amplissimis factum, qui tutam onera-
 rijs nauibus stationem, & ab omni tempestate, glacie, & quibuscunq; alijs marinis incommodis, securitatem
 præbet. Hic autem portus, artificioso, ac valido munitus est aggere, ea ratione composito, qua in vniuersa vbiq;
 Hollandia, contra vehementiores vndarum ac fluctuum impetus, vallum, & obstructions aggerantur. Habēt
 quippe hoc tractu, certum quoddā oblongi graminis, siue iunci genus, quod fundus mari cōtactus, copioso pro-
 uentu suppeditat; id certis anni temporibus, sub aquis demetunt, & nauibus, ea ad loca, in quibus ad obstructio-
 nes aquarum constituunt vt, deuehant; vulgò *Weyer/* indigetant. Huius autem vsus, ad solidissimas aggero-
 rum iuncturas vtilissimus est, cum eius sit conditionis atq; natura, vt, quo vehementioribus vndarum fluctibus
 concutitur, colliditurque, eo solidius concrefcens, vehementius, fortiusque resistat. Extra Enckhusanum oppi-
 dum, via est silice strata, sesqui horæ tempore, euntem exercens: Pagum habet adiunctū, vulgò, *Grote Brooch*
 nomine, qui ciuilibus priuilegijs gaudet, eò, quòd vrbs, tanta quondam amplitudine fuerit, vt tritum sit hoc lo-
 ci prouerbiū; Magnæ Grotbrokanæ vrbi, ignobile vicinum est oppidum, Aliquot Casæ, cognominatum: quo
 nimirum, vilis, & abiecta eius notabatur conditio. Nihilominus tamen minus, clementem blandamque fortunam,
 sensijt semper Enckhusa. Cum namque ipsam Grotbrokani, contra æqua vicinitatis iura, stratagemate quo-
 dam niterentur obruere; Mittebant quippe eò, in nauibus armatos scæno cōtectos, quasi scænarium, more so-
 lito, frequentaturi forum; dolusque innotesceret, nec optatum consequeretur effectum: in perpetuam eius rei
 memoriam, inter Orientalem & Septentrionalem portam, turrim Enckhusani construxerunt, *Spitt Broick/*
 nuncupatam; perinde, ac si ipsa, eo nomine innuat, in contemptum & despectum Brokensum ab oppidanis,
 quibus modò ornamento est, se excitatam fuisse. Non dissimile oppidanorum facinus, eo tempore extitit,
 quando Geldrij Hollandis bello imminebant, qui, vt subito hostiliter Enckhusam inuaderent, qualescun-
 que potuerunt insidias, oppido struxerunt, quorum conatibus ea & dexteritate, & celeritate obuiam Enckhu-
 sani iuere, vt Geldrij, subito amputatis prymnesijs, ancoras cogere relinquerent, quas omnes, elabentibus fu-
 ga hostibus, Enckhusani capientes, Orientalis portæ turri affixerunt; quemadmodum hodierno etiam tem-
 pore ibidem conspiciuntur. Ciues, marinam mercaturam exercent; multi naues construunt, alij sal, nitore præ-
 stans, conficiunt, quod ad exterarum nationes aueritur. Alij, copiosa halecum captura victitant. In vniuersum au-
 tem omnes, etiam ditiores, vili vtuntur vestitu, ita, vt oppidi Consul, nautico quandoque amictu incedat. Op-
 pidani, maritima negotiatione si vnquam aliàs, tum maximè turbulentsimis hisce temporibus, quibus alij
 multi re, ac opibus lapsi sunt, diuitias longe maximas coaceruârunt. Belli namque socijs adiuuantibus, omnem
 maris vicini negotiationem, ad se, violentia quadam, pertraxerunt. Vulgus, ex copiosissima halecū piscatione
 victitat. Nouembri mense, circa omniū Sanctorum festum, Nauiculæ complures, quas *Staelōners* adpellitant,
 plures ducentis, quæ binos tantum habent vectores, alto se pelago committunt, & retia sua, vel fixis extendunt
 stipitibus, vel alligata rudentibus, cum ancoris in immum demittunt. Et, cum densissimis gregibus haleca, con-
 tra vim fluminis ascendunt, fit quandoque, vt tam felix sit, in frequenti piscatu, captura, vt vnica Stalonerica na-
 uis, sex & triginta tonnis onusta, domum redeat. Atque ex isto piscatu, non omnia haleca sale, muriæue condi-
 untur, sed inueterantur, & infumantur plurima; vnde haleca infumata delicatissima, vulgò, *Deybüctinct/*
 in vniuersam passim Ostlandiam, in Germaniam, & ad omnes Rheni accolæ, transpor-
 tantur. Enckhusanum denique oppidum, Ruardum illum Tapper,
 præcipuum in Academia Louaniensi
 Theologum, edidit.



Die Stadt Enchuse

- Prinpalen huizen kercken
en Cloosters plaatsen
en straten*
- 1 Tweester kerck
 - 2 S. Commerkerck
 - 3 Berouwen clooster
 - 4 Twaester clooster
 - 5 Thiekerck
 - 6 Grotenkerck
 - 7 Nieuwen dorp
 - 8 Nieuwen dorp
 - 9 Die vishof
 - 10 Die vishof
 - 11 Die vishof
 - 12 Den dorpkerck
 - 13 Den dorpkerck
 - 14 Den dorpkerck
 - 15 Den dorpkerck
 - 16 Den dorpkerck
 - 17 Den dorpkerck
 - 18 Den dorpkerck
 - 19 Den dorpkerck
 - 20 Den dorpkerck
 - 21 Den dorpkerck
 - 22 Den dorpkerck
 - 23 Den dorpkerck
 - 24 Den dorpkerck
 - 25 Den dorpkerck
 - 26 Den dorpkerck
 - 27 Den dorpkerck
 - 28 Den dorpkerck
 - 29 Den dorpkerck
 - 30 Den dorpkerck
 - 31 Den dorpkerck
 - 32 Den dorpkerck
 - 33 Den dorpkerck
 - 34 Den dorpkerck
 - 35 Den dorpkerck
 - 36 Den dorpkerck
 - 37 Den dorpkerck
 - 38 Den dorpkerck
 - 39 Den dorpkerck
 - 40 Den dorpkerck
 - 41 Den dorpkerck
 - 42 Den dorpkerck
 - 43 Den dorpkerck
 - 44 Den dorpkerck
 - 45 Den dorpkerck

- Van fortessen
poorten ende
maenninghe*
- 1 Doude gou
 - 2 Mante
 - 3 Mante
 - 4 Mante
 - 5 Mante
 - 6 Mante
 - 7 Mante
 - 8 Mante
 - 9 Mante
 - 10 Mante
 - 11 Mante
 - 12 Mante
 - 13 Mante
 - 14 Mante
 - 15 Mante
 - 16 Mante
 - 17 Mante
 - 18 Mante
 - 19 Mante
 - 20 Mante
 - 21 Mante
 - 22 Mante
 - 23 Mante
 - 24 Mante
 - 25 Mante
 - 26 Mante
 - 27 Mante
 - 28 Mante
 - 29 Mante
 - 30 Mante
 - 31 Mante
 - 32 Mante
 - 33 Mante
 - 34 Mante
 - 35 Mante
 - 36 Mante
 - 37 Mante
 - 38 Mante
 - 39 Mante
 - 40 Mante
 - 41 Mante



La ville d'ENCHUSE, situee en la Comté
d'Hollande comme elle se comporte a present

Die Zuyder

zee

LA MER DE SUIT



ROTTERODAMVM



ROTTERODAMVM, non ignobile Hollandiæ oppidum, quasi dicas, Rottæ obex, siue agger. Damm namq; Batavis aggerem sonat. Est siquidem Roterodamum ad Rottam, aquæ ductum, à quo adpellationem habet, situm, Mosæ flumini propinquum. Schidamo, vnico miliari, Gouda verò, tribus distat: oppidum, cum opinione hominū vetustum satis, tum splendidum & copiosum, lanificio, & panni textura, celebre, habens & iustum populi numerum, & scitè admodum constructas ædes; quarum, quæ D. Laurentij nomine sacra, facilè princeps, & splendida est, & sumptuosa: sed præ cæteris ornamentis, vrbs ista, hoc nomine potissimum clara & celebris est, quòd patria fuerit viri celeberrimi D. Erasmi Roterdami, omnibus omnium doctrinarum virtutumq; nitoribus politissimi. Itaq; ad memoratam ædem, etiamnum visitur domuncula, & in ea, cella exigua, quæ primùm natum illum excepit. Hæc, vt ingeniosissimus quisque est, & amantissimus, iter illac faciens, reuerenter adit. Tantus ille vir, multis posteritati relictis operibus, quæ ingenij planè diuini argumentum præbeāt, diem obiit extremum Basileæ, Anno M. D. XXXVI. Raræ admodum ingenij & eruditionis dotes Erasmo, eo sæculo illiterato cõtigère, quibus permulti plurimum tum deferendum censuerunt, ijq; non plebeij ordinis homines, sed orbis monarchæ, nō vulgariter eruditi, sed rei litterariæ, ea ætate, principes. Quippe inuictis. Carolo Augusto à consilijs fuit. Serenissimus Cæsar Ferdinandus fauoris sui in ipsum documenta plurima dedit. Quàm magnificis verò honorarijs à Christianissimo Galliarum Rege Francisco in Gallias; quàm amanter ab Illustrissimo Rege Henrico, libera, vbi nam eo loci viuere vellet, data optione, in Angliam est euocatus? De summis Pontificibus Leone & Clemente, nihil attinet dicere, horum certè maximus erga eum fauor, multis ad Erasmus transmissis Epistolis innotuit. Sed hæc fortasse, pro istius loci ratione, nimis, de Erasmo, multa. Dum hoc oppidum, Ludouicus Guicciardinus, vt Belgij perficeret enarrationem, in Batavia sua ante annos aliquot describit, in calamitatem sanè maximam Rotterodamum incidit. Casu enim quodam, incendio in ea excitato, ædes nongentis plures, & onerariæ naues permultæ, conflagrarunt, homines etiam aliquot absumpti sunt, omnes detrimentum perpeffi. Iam tamen, ob ingentes diuitias, minore, quàm anni spacio (scribit eo tempore Guicciardinus) penè tota restaurata est, atq; ad cò frequenti negotiatione, & mercatorum concursu, dictu mirum quantum quotidie augeatur.

GOUDA



GOUDA, Præclarum Hollandiæ oppidum, sextum & vltimum inter Hollandiæ status locum obtinens, circa annum Salutis M. CC. LXXII. sub comite Florentio, à quo ciuicis & præcipuarum vrbiū donatur priuilegijs, conditum ad ripam Isselæ fluuij, situ est periucundo. Quippe olim obstructo Rheno, circa pagum Catvick, & præsidium Britonum, duo fluuij, nimirum, Issela, & Lecka, qui se in Mosam exonerant, enati sunt. Itaque, cum non pateret libera nauigatio, & exitus ad mare; per alueos & fossas, flumina circumducta sunt, atq; eo loco, vbi nunc Gouda sita est, fossa incuruata & flexuosa, quæ Gouda appellatur, & oppido nomen dedit, in Rhenum Leidensem ad vitandum mare, & loca remotiora, deducta est, obiecta tamen Sclusa, quam vulgò vocant, ne fluxu Isselæ, campi inundarentur. Tum, tuta nauium statio ibidem originem cœpit, habitationes & diuersoria, hac de caussa, aliquot excitata in aggere. Et noua, hac occasione orta societas, tanta, breui temporis successu, incrementa sumpsit, vt palustrium passim locorum agrestes habitatores pertesi, qui varijs antea locis sparsim habitabant, iuxta aggerem, locum altiozem cōuenerint, & Ecclesiã, quo rei imprimis sacre, & religioni vacarent, huc transtulerint. Quæ quidem consociata Batauorum multitudo, loci opportunitate vsque ad cò breui tempore creuit, vt vrbs formam, fossas ac mœnia, quo liberius & tutius hic habitaretur, locus ipse desideraret. Qui sub Florentio Comite, vt dictum est, ius ciuium est consequutus. Demum, Comites Blesenses, quorum ditionis postea Gouda facta est, cum animaduertent, oppidanorum frequentiam, plurimū ob quotidiana incrementa augeri, oppidi pomœria, fossas, ac mœnia, latiori spacio, ea nimirum amplitudine producerunt, qua se modo visenda exhibent. Recipit autem Goudanum hoc oppidum indies aquã ex maris fluxu, atque refluxu, mundam tamen, defecatam ac dulcem, excoquendæ cereuisiæ accommodatissimam, cui Hollandicum solum, neq; colore, neq; sapore parem habet. Eam commoditatem Isselæ alueus oppidanis suppeditat. Verum propter frequentes & exuberantes eius inundationes, Florentius Comes, eius nominis V. (qui in venatione plus viginti vulneribus confossus, periit) Anno Salutis M. CC. XC. VI. Ultraiectensis Episcopi consensu, naturalem Isselæ alueum, in pago Vreesvick, haud ita procul à Viana, obstructit. Hinc factum est, vt antiquus ille alueus, paulatim enata ex sordibus terra, minuatur. Ars Typographica, paucis, imò nullis ante in Hollandia cognita (nam quicquid librorū tum erat in vsu, monachi assiduo labore, & magna diligentia scribebant) Goudæ primum innotescere, & in vsu haberi cœpit, in domo fratrum Collationis. Primaria vrbs ecclesia, eleganti structura, & præcelsa turri conspicua, bis à prima fundatione tota exusta fuit, Anno nimirum salutis M. D. LII. igne cœlitus tacta. Et anno M. CCCC. XXXVIII. eo incendio, quo oppidum vniuersum, deformatum, periit. Hæc verò Ecclesia, qua modo præcellit structura, magnificè restaurata, conspicitur.



ROTERODAMVM HOL
LANDIAE OPP.


ROTTERDAM.



GOVDE.

GOVDA Hollandiae Opp. ad Isa-
lam amnem, quo Gouda fluvius, à quo
vrbs nomen habet, euoluitur, situm.





NAMVRCVM




EMETOCERNA, Cæsari in Belgis oppidum, Car. Bouillus hodie Namures vocari docet. Sunt & Cæresi, Germaniæ apud Cæsarem populi, qui nunc Ripenses, Huberto Leodio appellantur, vbi arx Cerey, apud Mosam; Vegenero est Namur, Germanis *Namen*/ Nunc passim Namurcum, in signe comitatus Brabantia, ad Mosam flu. oppidum. Originem nominis habet satis obscuram. Auctores enim graues scribunt, à se, an ex alijs, haud scio, ab Naino, Gentilium Deo, appellatum; eum in Montis vertice, ad cuius radices situm sit, habitasse, & cultum fuisse, omnibus ad eum opis, auxilijsque gratia, ventitantibus, responsa dare consueffe: post verò Christi aduentum (Materno prima fidei Christianæ fundamenta collocante, qui totum Eburonum agrum, ad suaue Christi iugum inuitauit) prorsus obmutuiffe. inde Namurcum vocitant. Alij, hanc urbem à Romanis, tanquam inexpugnabilem rupem extructam esse, referunt: Ipsos nouum murum nominasse, vnde postea Namurci, siue, vt alij perhibent, Namurre appellatio, corrupta sensim voce, facta sit. Sita est inter duos montes, ad læuam Mosæ ripam. Ad Occidentem Sambra, Namurcense oppidum alluens, id duas in partes interfecat. Mosa pertransit, exituque dein suo, in eam sese regurgitat. Abest Louanio octo belgicis miliaribus, decem Leodio, vndecim Bruxella. Pulchra est & amœna, arceque loco edito, conspicua, longius se videndum præbet. Ea in arce præclarum est Canonorum Collegiũ, fundatione ac sumptibus Comitum olim institutũ. Sunt & aliæ duæ in vrbe ipsa Canonorum Collegiatæ Societates. Altera, in ecclesia D. Albano sacra, quæ Pauli quarti Pontificis Maximi auctoritate, Hispaniarum Rege Catholico petente, in Cathedralem est euecta. Cuius primus omnium Antistes, designatus, confirmatusque est, Reuerend. D. Antonius Hauetius, insigni doctrina, & verbi diuini administratione clarissimus, multis annis, in aula Bruxellensi, Ecclesiastico munere, summa laudis celebritate, perfunctus, omniumque proinde iudicio, dignus & idoneus iudicatus, qui ad episcopatus honorem eueheretur. Altera Canonorum ecclesia est B. Mariæ Virgini nuncupata, idque, vt annales perhibent, D. Materni, primi Tungrorum Apostoli, auspicijs. Monasteria etiam hic aliqua sunt, vtriusque sexus, inter quæ principem ferè locum obtinet Fratrum, instituti D. Francisci cœnobium, non modo sumptuosa, & celebri splendoris structura, sed fratribus, doctrine, pietatisque ornamentis, illustribus, & optimis verbi diuini præconibus, celeberrimum. Multa sunt insuper & in ipso comitatu cœnobia splendida, Namurcensium Comitum olim pietate constructa, & opimis honorata redditibus. Inter quæ maximam dignitatis laudem meretur, siue ædificiorum nitorem, & elegantiam, siue religiosorum fratrum pietati candidatorum, frequentiam, probitatemque, siue Cœnobiarchæ pietatem, prudentiam, eruditionemque consideres, quod apud Floreffiam Præmonstratensium familia incolit, cuius prima iacta sunt fundamenta, eodem ferè tempore, quo circa annum Christi M. C. XX. Merberto auctore, Præmonstratensium ordo initium cœpit. Ornatur insuper hæc ciuitas, multo ab hinc tempore, illustri Comitum titulo, nec exiguo prouentu, quondam Marchionatus dignitate commendata. Sed in ea sædes perpetuas fixit, totius huius Comitatus Conciliũ, quod appellant, delectorum litibus iudicandis virorum, à quo tamen ad Mechliniensem Principis Senatũ, prouocatur. Habebat quidem Bruxella Ecclesiasticam Curiam, in qua controuersia omnes, eius Brabantia partis, discutiebantur, quæ Dicecesi Cameracensi parebat. Nam tota Brabantia hic non comparebat; sed eius pars, quæ Leodiensem agnoscebat episcopũ, Louanij coram tribunali istic ei constituto, litigabat. Nunc, singulae Diceceses, nouis, paucis ab hinc annis, episcopis creatis, adscriptæ, singulis episcopis parent; Vt Mechlinea, cum suo territorio Archiepiscopo Mechliniensi, Anuerpia, Buscoducum, Namurcũ, Anuerpiensi, Buscoducensi & Namurcensi Episcopis, &c. Gens, armis dedita, Principique suo deuotissima. Gallicam, at, degenerem, linguam usurpat. Videtur nihilominus ciuilioris vitæ studiosa, & ad nonnullas artes ingeniosa. Mercatores paucos habet & artifices. Nobilitate verò ita pollet, vt plurimas & diuersas familias ostendet, quæ generis sui auiti splendorem ad illustrissimi sanguinis Principes & auctores, haud incertò referat. Vniuersam Namurcensis Prouinciæ conditionem Reuerend. D. Guilhelmus Dupæus cœnobiarcha Floreffianus, subiecto carmine, eleganter descripsit.

*Quisquis naturam cupis huius noscere terra,
Hanc tibi per paucis versibus expediam.
Vnica, ni fallor, tota est prouincia rupes,
Exili gleba tecta superficiem.
Renuit hinc validum prædurus agellus aratrum,
Insidias quoddam ei saxa dolosa parent.
Arescit tellus nimium, si deficit imber,
Saxa quoque nimbofis, heu retentur aquis.
Hinc à quingentis memoratur plus minus annis,
Hæc regio ferè tota fuisse nemus.
Auguribus sunt hic aptissima res qua peritis,
Aspera dumosis non adeunda iugis.*

*Terra ferax ferri est, sed pene filiginis expertis,
Triticeo farri nec bene conueniet.
Zea petris gaudens hic passim crescit in aruis,
Quæ farri nescit cedere triticeo.
Saltibus & lucis, magna pro parte repletur,
Nec non vitiferi collis abundat ager.
Manantes riuus vitreis de fontibus orti,
Per valles crepitant, saxa quoque, murmur agunt.
His genitos amnes umbracula frondis opacant.
Non posset Musis aptior esse locus.
Hic dominatus habet stuuos, Sambra quoque, Mosamque,
Nauigeros, tamen est, quæ Mosæ Sambra minor.*

*Sit licet ipse minor, multo est piscosior illo,
Et maiore beat fertilitate solum.
Metropolitanam qui postquam perluit urbem,
Protinus in Mosas exoneratur aquas.
Nostram quoque, sylua ferax dum pascit aprica fugaces,
Horrida setigeris tota migrescit apris.
Præ reliquis Regio est argenti marmore diues,
Quo surgit docta sæpe torcum manu.
Quedam saxa rubent, niueis interlit a punctis,
Porphyrius passim creditur esse lapis.
Nauigio celeri varium per clima feruntur,
Pescere quisque potest, vsibus apta suis.*





DAVENTRIA.




DRANSISALANA ditio, vulgo, *Das Landt von Ober Zfessl* / Geldria est regio versus Septentrionem opposita, in tres partita regiunculas, quarum, quæ Isalæ (veteribus Fleuus, vel Fleuum) vicina est, *Zfesslandt* communiter vocatur: Quæ verò trans Vidrum, quem *Becht* nuncupant, fluuium, sita est, *Zwent* dicitur, antiquam, vt videtur, Strabonis, & Taciti adpellationem retinens, qui iuxta Camannos, Tuenterorum, siue, vt apud plerosque inuenio, Tenecterorum, & Teuenterorum, gentem posuere, quæ Dauentriam urbem habet præcipuam, cuius quidem adpellatio non ineptè ad Teuenterorum nomen alludit. Sunt autem viri docti plerique, quibus hæc vrbs viuendi initium dedit, qui non Dauentriam, sed Dauontriã dicendum contendunt. Cum testentur id duo perantiqua quædam monumenta lapidea, quorum alterum, ad Senatoriã domus ingressum conspiciatur, alterum autem in porta, quæ Brinconis dicitur, quibus Dauontur, sculptum legatur.

Quod quidem ab eorum etiam opinione non nimium abhorreere videtur, qui non aliunde, quàm à Dauone, viro quondam inter Saxones honorifico & potente, nomen huic vrbi inditum adseuerant. Cum enim Frisia, Saxonia citerior, V Westphalia, Sicambria, quæ nunc Geldria, Cluiã, Iuliacum, siue Menapium, Totus ager Traiectensis, qui Rheno alluitur: Betua, siue Batua, olim Bataua, quæ nunc Hollandia; V Valachria Mattiacorum, quos vocat Strabo & Cornelius Tacitus, quæ iam Zelandia adpellatur, omnes, inquam, hæc prouinciæ, cum fide Christi, & euangelica luce primum illustrarentur, commodarunt suam operã Christo s. V Vilebrordus, Bonifacius, Lebuinus, V Verentfredus, Luitbertus, & alij, sanctæ huius societatis, religiosissimi viri, qui Saxonibus siue Anglis Britanniam deuastantibus, immanemque in Christianos tyrannidem exercentibus, verso solo, patriaque exulantes, huc sese receperunt, Sergio Pontifice Maximo, Iustiniano I. A. & Pippino Franco, imperantibus, Anno plus minus, D. XL. His inquam temporibus Lebuino, quæ Dauentriã vicina sunt loca, euangelico aratro colenda obtigerunt, cuius quidem opera, dum populus salutaris doctrinæ tuba à mortis somno excitaretur, desolata sunt idolorum Fana, & primum excitatum est Christianorũ oratorium in oppido V Velpa (alia habet historia, iuxta castrum Viltenburch, antiquitus dictum, modo Traiectum) haud ita procul à Dauentria sito, cui feruore ac pietate populi, adiuncta sunt nouo concionatori ædes. Insignis autem tunc beneuolentia ac Zelus Dauonis, cuius supra meminimus, viri opibus, ac dignitate præcellens, erga Lebuinum extitit, vsque adeo, vt D. Lebuino morte sublato, magnificum Deo oratorium B. Lebuini adpellatione clarum, iuxta arcam suam erexerit, in quo Dei apostolum decenti, & magnifica sepultura decorauit. Ad hanc autem Dauonis arcam, propter erecti templi magnificentiam & viciniam, multi ædes suas habere desiderarunt, ita, vt ista ædium multitudo & coniunctio, paulatim muris ac foueis cingi, & vrbs nomen, à Dauonis arce sortiri, atque imperialibus priuilegijs gaudere ceperit. Atque hæc quidem vrbs dexteram Isalæ ripam, situ per amœno, exornat. Cathedrali Ecclesia, & Canonicorum sodalitia commendata, cui B. Lebuinus Transisalanorum Apostolus, sicut & vniuersæ Diocesis, tutelaribus patronus existit, Pro cuius reuerentia Bernulfus Traiectensis Episcopus, medietatè collegij S. Saluatoris Traiectensis huc transtulit. Schola insuper Triuiali Dauentria inclarescit, ex qua viri complures scientiarum nitore conspicui, prodierunt. Florentissima autem eius scholæ conditio fuit, cum in ea Erasmus ille Rotterodamus discipulum, Rodolphus Agricola Lectorem; Alexander autem Hegius, Rectorem egit. Quatuor studiosorum familijs (collegia dicenda putarem) diuersis diuersorum foundationibus, vitæ & studiorum præsidia suppeditantur, quarum præcipua Domus Cusana nuncupatur à fundatore Nicolao de Cusa. Qui adolescens, bonarum literarum mercatum Dauentriã gnauiter exercens, & ostiatim victum sibi quæritans, piscatoris quippe pauperuli filius erat, Cusa Germaniæ vico ad Mosellæ amnem Treuirensis Diocesis oriundus) singulari deinde commendatus eloquentia atque doctrina, Archidiaconus Leodiensis, tum Cardinalis S. Petri ad Vincula, titulo Eudoxiæ, & Episcopus Brixienis efficitur. Is itaque, ad tantum dignitatis & honorũ culmè euectus, præstitorum sibi à Dauentriensibus, (quos humana semper beneuolentia, & hospitalitas commendauit) benè memor, non exiguam pecuniæ vim ad perpetuam quandam foundationem conuertit, qua adolescentum, egestate laborantium, inopiã subueniretur. Xenodochia etiam in hac vrbe sunt quatuor, misericordiæ exercitijs, & Ecclesiæ, pietati nūcupatæ. Vrbs ipsa, aquis vnde quaque cincta, muris, propugnaculis etiam firma est, & populosa, Isalæ aquis irrigatur, (cuius vtraque ripa ligneo hinc ponte coniungitur) qui ex Rheno ortum deducens, & nomen inter Arnemium & Zutphaniã acquirès, artificiali, multarum impensarum cursu, ad Dauentriã mœnia subductus dicitur. Hoc namque tempore paulo ab vrbe remotius, versus Orientale latus, stagnum conspicitur, Isalæ veteris adpellatione notum, quia nimirum, præcis temporibus naturalem hoc loci alueum obtinuerit. Mercimonijs verò imprimis Dauentria famosa est, cuius incolæ in remotis orbis partibus negociantur. Et, quia Hanseaticæ etiam societatis (scædus est septuaginta duarum vrbiũ) priuilegijs, & immunitatibus gaudent, hinc in præcipuis eius scæderis Emporijs, puta, Anuerpiæ, Londini in Anglia, Bergæ in Noruegia, communibus etiam libertatibus à Regibus & Ducibus scæderi concessis, vtuntur. Ex qua quidem per ampla negociatione, ad summam dignitatem Dauentria peruenit, vt Transisalanarum vrbiũ, quarum octo præcipuæ, caput sit, & sumptuosissimis proinde ædificijs ornata conspiciatur. Fori medio, insignis negotiationi domus cõstructa est, vulgo, *Die Wage* / ex eius arcis ruinis, ex qua Geldrorum Dux Carolus, dum obsidione Dauentriam teneret, multum oppidanis detrimenti intulit. Quã proinde, vsitato idiomate, ciues Altena, hoc est, Nimis vicinam nuncupabant. Verum dum Carolus Dux, pauore ac formidine percussus, ob Caroli Quinti potentiam (eius enim se protectionis atque tutelæ Dauentrienses, Vltraiectino Episcopo diffidentes, commiserant) cuius copias aduentare suspicabatur, ignobili fuga, obsidione soluta, dilabitur, ciues, hostem insequentes ipsa que arce funditus euersa, munitioibus, aggeribusque turbatis ac ruptis, diruta, soloque adæquatã iam arcis ruinas, ad vrbe deferunt, & magnificam, cuius iam modo meminimus, domum, ex eadem ædificant. In cuius quidem domus latere, lapidea conspicitur olla, & morionis in eam oculos figentis, atque subridentis effigies; qua quidem Carolus Geldrius designari fertur, qui ex commemorata arce, ciuium ollas iam longo tempore auidè inspexisset, nec tamen de carnibus ea ipsa olla contentis, de oppidanorum nimirum possessionibus ac bonis, quæ militibus, nondum parta victoria, promissa erant, potuisset gaudere. Vicinus Dauentriæ ager fertilissimus, & ad quamuis culturam aptus, frumenti imprimis ferax, hinc pascuis fecundus, vnde pecorum ingentes alunt greges. Quin ex remotissima Dania, eo pascendi saginandique gratia, numerosi greges aguntur, lætissima siquidem, & amplissima prata habentur. Præcellentes etiam viros, eruditionis virtutumque elogijs præstantes, qui patriæ ornamento fuerunt, Dauentria edidit. Ac inter primos quidem, Gerardum illum, cui ob vitæ sanctimoniam, Magni cognomen tribuitur, philosophicis artibus, & Theologica facultate cultissimum, scriptis etiam clarum. Domum Fratrum, quos de communi vita nuncupat, Dauentriæ primus instituit. Insignis etiam Cosmographus, Iacobus à Dauentria, hinc oriundus, qui initio artem Medicam professus, Mathesin deinde, & potissimum Geographiam ita coluit, vt inter primos Philippi Regis Cosmographos, honestissima pensione annua donatus, omnes totius Belgicæ vrbes, accuratissimè delineatas, tribus voluminibus complexus sit, quibus elaborandis perficiendisque, cum regiones eas omnes peragrando, diu, multumque insudasset, Coloniam Agrippinã, fatis præuentus, moritur. Et, ne tam præstantia, & multorum sumptuum volumina, alienas ad manus deuenirent,

Amplissimi Senatus Agrippinensis opera, conseruata, & à Præside Viglio in Hispanias, ad Regem sunt transmissa. Nostra etiam memoria, magni nominis Iureconsultus, ordinarius in

Vbiorum Metropoli iuris Professor, Matthias Schnellius Dauentriensis, Patriæ splendorem tuetur.



DEVENTER.




YSEL

FLY.

LIBERÆ ET HANSEATI
 CÆ VRBIS DAVENTRI
 ENSIS DELINEATIO.





CAMPENA



CAMPENA, eius regionis, in Geldrico Ducatu, vrbs, quæ versus Septentrionem posita, Transisalana dicitur, in leua Isalæ ripa, decenti, & oblonga structura præstans, circa eius fluij ostia, quibus sinui maris Australis, vulgo, Zudersee, iungitur; Quatuor, Dauentria miliaribus abest, vrbs multarum opum affluentia, elegantissimo, ædium priuatarum, & ciuium nitore commendata, sicuti etiam ædificia publicis vsibus destinata, superbissima exhibet. Quorum præcipua sunt, vt exordium à religione sumatur, quæ reliquis ædificijs conspicua altitudine præminent, D. Nicolai, & B. Mariæ virginis templum: Illud Parochiale, quod non oppidani tantum omnes, sed frequens ex vicinia populus, frequentât. Hoc, numini dicatum, & Parochiali Ecclesiæ, eorum, qui sacris operâtur, ministerio, auorum pietate, coniunctum, præcellam habet, & eleganti structura nobilem turrim, vnde per vicinum Australe mare, Enckhusam vsque, visus dirigi, pandique potest. Eadem Ecclesia, non sine spectantium admiratione, summo in altari, elaboratam ac venustam tabulam repræsentat, maiorum imaginibus clarissimæ virginis manu depictam. Qualis & in Francisca norum collegio perelegans, conspicitur. Ciuica domus, haud ita à ponte, quo vtraque Isalæ ripa coniungitur, remota, peraugusta ac splendida, sed præ cæteris ædificijs omnibus, incredibili structuræ symmetria. Telonium ad Isalæ ripam, sese effert, quæ lata tecta Magnatibus, & harum regionum Primoribus, frequenter subministravit, cuius splendorem exteri, magnificentiam & structuræ harmoniam Architecti, admirâtur. Priuatæ autem ciuium ædes in vniuersum pene omnes, potissimum autem in platea antiqua, vt amplæ & magnificæ, vtputa, ad negotiationem quondam amplissimam fabricatæ, ita validis innituntur fundamentis ac muris, ne marinis labefactatæ inundationibus, corruant. Quare, eum etiam ad modum sunt factæ, vt supernè, non incõmoda oppidanis domicilia præbeant, quando nimirum aqua præter modum ac consuetudinem intumescens, vi ventorum contra Isalæ alueum agitata, excrescit, vt Campena aquis tota videatur immersa. Quales maximæ & periculosissimæ inundationes fuerunt anni Septuagesimi & Septuagesimitertij, quarum impetu, aliqua etiam mœniorum pars concidit. Urbem ipsam mœnia, & marinæ ambiunt aquæ, quæ partim per Riuum, vulgò *Die Riue*/partim per Isalæ amnem eò deducuntur. Dulces autem Isalæ aquæ per mediam urbem, ad communes ciuium vsus permeant. Extra urbem, paludosa passim, sunt loca vliginosa, & inaccessa, vt obsidionis Campena impatiens sit. neque enim murales machinæ, & furiosi Martis tormēta, subduci possunt ad mœnia. Suburbia sunt bina, venusta, sane, elegantia, conspicua; Separata diceres oppida: ad hostium ferendos, propulsandosque insultus, probe munita, quamdiu habitatores, vnanimi consensu iuncti, defensores non deerunt. Vicinius vrbi, Haga, remotius, Burenopia nuncupatur. In illo peritissimos nauium Architectos, quarum frequens in aquaticis hisce regionibus vsus: In altero autem, qui piscium capturis incumbunt, magno numero inuenies. Vix enim credam, plura, hoc tractu, reperiri oppida, vbi maior delicatissimorum sit piscium copia, Sturijs abundant, & præstantissimis Salmonibus, carpios, lupos, & stupendæ magnitudinis prasmos, tanta abundantia, piscario in foro, quotidie videas, dictu vt plane videatur incredibile. Asellum piscem marinum, sapido præstantem iccinore, vulgò, *Cabbelliam*/nomen ab asininæ pellis similitudine retinens, cū cineritij coloris, squamosus non sit, haleca recentia, conchas, ostrea, passeras, quos plateffas, alij verò pectines nuncupant, planos, latosque, & præstantes Rumbos, cæterosque, quos ex mari pisces desideres, piscarium hîc forum, pretio tolerabili, quotidie affatim offert. Peculiare piscis genus, vulgò, *Masculus*, præ cæteris hîc in pretio, & delitijs est. Horum alios domi, & viciniorebus in locis, recentes diuendunt, alios, sale conditos, ad remotiores exportant. A viris porro, scientiarum nitore politis, Cāpensis hæc patria, inclarescit. Hinc namque Albertus Pighius Patritius, vir, in omni scientia versatus, oriundus fuit, qui nominis celebritate, patriam quoque, toto orbe celebriorem, atque illustriorem reddidit, insignis imprimis Theologus, multa, de quæstionibus hoc tempore controuersis, doctissimè disputauit, & scripsit; Cosmographiam quoque professus, excellens instrumentorum Mathematicorum fabricator, quamobrem Hadriano Pontifici charus, diu cum ipso vixit, Hinc ex Belgio eum in Hispaniam, atque inde in Italiam comitatus. Eo verò Pontifice mortuo, Clemens VII. & Paulus III. Pontifices Max. quorum postremum itidem Mathematicen docuit, plurimorum hominum, tametsi peregrinum, fecere, adeò, vt honorum, & opum plenus Albertus, tandem Roma in patriam reuersus, cum inibi omnibus æquè gratus, atque acceptus aliquamdiu vixisset, in dulcissimo litterarum otio, ad extremum, summa cum nominis gloria, vita defunctus est. Cuius iam nepos decus, & honorem familiæ conferuat, Stephanus Pighius, virtutis studiosus & valde literatus, idem, quæ insignis antiquarius.

VRBIS CAMPENSIS, AD ISALAM FLVVIVM, ICON


CAMPEN.

YSEL

FLV.

1. Die grote kerck.
2. S. Bergitte Closter.
3. Die Selt bruders.
4. S. Agneten Closter.
5. S. Gertrud gasthuus.
6. Die milder bruders.
7. Den Heiligen geest.
8. Die swerte Susters.
9. Onser frawen kerck.
10. Dat Rhat huus.
11. Den hagh.
12. Die haghte porte.
13. Die Vie porte.
14. Die Veenen poort.
15. Die silbruers porte.
16. Die huer porte.
17. Die Kaluer hecht-port






SVVOLLA.



RANSISALANA, vulgò, *Dat Landt van Dueriffell* (Quæ enim inferioribus Germanis, transest) dicitur Regio Geldriæ versus Septentrionem opposita: ipsa ad Septentrionem Frisiam Occidentalem, ad ortû VVestphaliam, ad occasum Issulam fluuium, & Sinum maris, quem *Süderzee* dicunt, habens, in tres diuiditur regiunculas, quarum, quæ Issulæ vicina est, *Issallandt* vocatur, quæ verò trans Vidrum, quem Vecht vocant, fluuium, sita est, *Drent* dicitur: quæ verò VVestphaliæ proxima est, *Zwent* appellatur. Habet autem hæc Prouincia, vrbes mœnibus cinctas octo, quarum non infimæ dignitatis est SVVOLLA, Tripolitanæ clarissima, vrbs Imperialis, situ loci amœnissima, qua in tota penè Germania vix est inuenire aliam beatiorem, quæq; omnibus frumentorû generibus, iuuenis, piscibus, butyro, alijsq; ad sustentationem corporis necessarijs rebus, non solum magis abundet, sed etiam maximam Inferioris Germaniæ partem, istarum rerum copia enutriet. Republica etiam tali, qualem neq; Aristoteles, neq; Plato vnquam fœliciores descripserunt; ita, vt propter prudentiæ, ac sapientiæ opinionẽ, immunitates, singularia priuilegia ac iustissima municipalia iura, hic Senatus ab alijs, & vicinis oppidis, in dubijs causis, cõsulatur, quas & secundû suas leges diiudicat ac componit, compositasq; ad loca, & oppida circumiacentia, pro iudiciali auctoritate, ratas remittit. Sunt & in ea tria religiosorum monasteria, vnum Regularium Canonicorum D. Augustini, Alterum Prædicatorum Mendicantiû ordinis S. Dominici, Tertium, Fratrum, bonæ, vt appellant, voluntatis. Habet ad hæc, quatuor Sacrarum virginum Collegia. Est & in ea schola, olim, & nunc florentissima, ex qua omnibus temporibus innumeri prodierunt viri doctrinis excellentes. A mari nauigationem habet propter Issulam fluuiû, qui tertium Rheni ostium constituit, vbi Canenefatum Insula, quam solus Tacitus, inter vetustiores rectè descripsisse videtur. Verum istud Rheni ostium, quo videlicet illa ista constituatur, non cõmemorauit. Et profectò mirû videri potest, Romanos, alioqui diligentissimos, tam famosum, & ingens Rheni ostiû, vel ignorasse, vel subticuisse. Hoc itaq; magni argumenti loco fuerit, illos penitiora Germaniæ, bello nunquam attingisse. Solus verò Ptolemæus, tertij quidem ostij mentionem facit, sed absq; omni prorsus loci, aut situs descriptione. Est autem insula Canenefatum, quæ sita est inter ostium illud Rheni, quod nomen non amittit, & tertium illud, Romanis ignotum, quod Issula dicitur. Diuiditur autem ab altero sub Arnhemensi ciuitate Geldriæ, & fluit contra Phrisios, ac in Oceanum vsque protenditur, multis hodie ciuitatibus insignis. Extrema Canenefatum in ipso Oceani littore, Camanni olim exceperunt, gens inter Phrisios, & Canenefates sita, quæ postea à Phrisijs in seruitutem redacta, in Phrisiorum nomen abiit. Hi ciuitatem habuisse scribuntur, à Romanis, Naualia, nuncupatam, quam quidem, etsi hodie nonnulli, Campen, suspicentur, Petro tamen Appiano, alijsq; eruditioribus Historicis, Svvollla comprobatur. Quæ, præter Issulam non ita procul remotam, habet & Vidrum, cum Alpha, quam Nigram aquam nunc vulgo appellitant, quæ duplici riuo Svvollam influunt, à quibus non paucas commoditates ciues percipiunt. Viros etiam eruditione claros hoc oppidum edidit, inter quos primas, Ioannes Rullius, merito meretur, Latinarum & Græcarum litterarum nitore politus, publicis etiam scriptis celebris.

*Svvollla diu celebris meruit virtutibus arma,
 Quæ populum fortem nobilitare solent.
 Inde salutifera veteri pietate, fideque
 In Tripolim recipi fœdere digna fuit.*



SWOLL

Swolla diu celebris meruit virtutibus Arma
 Quae Populum fortem nobilitare solent
 Inde salutifera veteri pietate fideque
 In Tripolim recipi federe digna fuit.

SEPTENTRIO

MERIDIES

OCCIDENS



LEVWARDVM




LEVWARDVM, eius Frisiæ oppidum, quam occidentalem nuncupant. Frisij namq; in vniuersum omnes, in eos, qui orientem, & , qui occidentem respiciunt solem, diuiduntur. Quorum hi, proprio & auito nomine, Frisij Occidentales, & Vvestfrisij appellantur, qui Vvigeuonum, id est, maritimorum, & littoralium natio sunt, Littora Germaniæ aquilonaria tenentes. Hi autem, quatuor in status diuiduntur, quorū eminentior est Gruningensis, reliqui sunt comitatus de Oestergoy, Comitatus de Vvestergoy, & Comitatus septem Saltuum, vulgò, *Seuen Wolden*. Cuius horum subsunt sua oppida pagiq;. Horū autem Comitatum caput est Levvardum, oppidum opulentum, & , vti priuatis ciuium domicilijs decenter ornatum, ita aquarum ambitu, foueis, & præualida arce, contra hostiles insultus egregie munitum. Curiam habet iudicalem, & Frisiæ Cancellariam, à cuius Tribunali, nulla vterius permittitur appellatio. Episcopali etiam dignitate ornatum, in superiore Episcopatum distributione; cui Reuerendus Dominus Cunerus Petri Brouershauus, Theologus Louaniensis, primus est designatus Antistes, scriptis clarus, & iam hoc tempore, dum ob turbulentos Belgij motus, Colonia Vviorum exulat, eam vniuersitatem disputationibus, & prælectionibus publicis exornat. Anno ætatis XLIX. moritur. Milliaris ab hac vrbe interuallo, Zuichemus pagus est, ortu Viglij clarus & nobilis. is, vsurpato ab isto pago cognomine, Eques, & V. I. Doctor, adeò excellens, & grauis extitit, vt paucos illi pares Europa habuerit. In vniuersa siquidem totius literaturæ Encyclopedia exactissimus fuit, vir ingenio & solerti comprimis, & capaci, omnis consilij, & prudentiæ callentissimus, vt maximus virtutis amator, ita eius amatorum studiosissimus, vt proinde ad summum dignitatis fastigium conscenderit, dum Secreti Consistorij Regij Præses factus, & D. Bauonis, apud Gandauenses Præpositus, vtrique dignitati, ad finem vsque vitæ, splendori, & ornamento extitit. Patriam hanc quoq; ortu illustrauit Suffridus Petrus V. I. C. vir admodum literatus, & doctus, quod opera sua ad posteritatem transmissa, palam fatentur. Publicæ namque sunt eius orationes septem, quarum quinq; Græcæ linguæ vtilitatem explicant. Sexta est de LL. Rom. præstātia. Septima, reformationem Vniuersitatis Erphordiensis continet. Plurima etiam ex Græco sermone in Latinum felicissimè transtulit. Legationem Athenagoræ Philosophi, ad Antonium Cæsarem pro Christianis: Tres libros vlt. historiæ Ecclesiasticæ Hermiæ Sozomeni. Historiam Ecclesiasticam Eusebij, & coniuictorum, totam recognouit, factaq; Græcorum exemplarium collatione, emendauit, adiectis emendationum rationibus, ad calcem operis, multaq; alia ornamenta huic operi contulit. Varia insuper, & complura Plutarchi opuscula vertit. Martinum Polonum Chronologum, ad fidem veterum codicum emendauit. De illustribus Ecclesiæ scriptoribus, auctores præcipuos, Hieronymum, Gennadium, Honorium, Isidorum, Sigebertum Gemblacensem, & Henricum de Gandauo, commētarijs illustratos edidit. Castigationes etiam, in omnia Ciceronis opera scripsit. Vt eruditorum proinde turba, plurimum tanto viro meritò debeat, & sit obligata.

FRANICHERIA.



FRANICHERIA, in Vvestergoyæ Toparchia, duobus à Levvardio distitum milliariis, diues & opulentum oppidum, in quo, vt plurimum nobiliores homines degunt, quòd perduellium sui Principis, (qui tum Saxonicus dux erat,) obsidionem fortiter sustinuerit. vnde am-
plo ab eo prærogatiuo, & priuilegijs præ cæteris Frisiæ vrbibus, ornatissimum est. Agrum habet, quemadmodum & vniuersa Frisia, planum, ac pascuis fœcundissimum, stagnis tamen, lacubus, ac paludibus intercisum, aliquando maris sinubus, aliquando totus insularis, quoad fementes, incultium, ad reliqua verò fœcundum, latissimis pratis amœnissimum. Reliqua terra exhauritur cespitibus, quas *Toruen* vocant, pro igne alendo, egestis. De quibus Plinium lib. XVI. cap. II. loqui plerique existimant, cum inquit de Septentrionalibus Chaucis, quòd vlua, & palustri iunco funes necant, ad prætexenda piscibus retia, captumq; manibus lutum, ventis magis, quàm sole siccantes, terra cibos, & rigentia Septentrione viscera sua vrant, &c. Est porrò, vsque adeò humilis, submissa, profundaq; Frisica regio, præsertim, qua Oceano est propinquior, vt vix ægreque ab ineunte autumnno ad multum Ver vsque, peregrinandi, iterue faciendi modus iniri alius queat, quàm, vt cymbis vehantur, vnde plures vicos, villas, pagosq; videre est, fortissimis aggeribus, terraq; paulò altius eleuata, ac supra reliquam eminenti, locis opportunis extructos. Maris sæuitijs ita obnoxia, vt Coro flante, sæpenuerò periclitetur, ac superioribus annis 1570. non pecudū modò, sed & hominū, ad myriades vsque, iacturam fecerit. Frumenti, ob prælibatas causas, parum ferax, inundationes enim annuæ, quæ præter id, quòd maturè accidunt, tardè etiam cedunt, sementem aut extinguere, aut per agros omnes dissiparent. Vnde ex vicina Dania, ac locis mediterraneis sollicitè id conuehunt. Vineta quoque ob nimium frigus, ventorumq; rigorem regio non patitur. Hunc autem defectum, partim Gallia ac Hispania, partim Germaniæ Rhenique accolæ, partim etiam cereuisiæ potus, subleuant. Syluas, etiam si habeat regio, vtpote eas, quas *Seuenwolden* vocant, versus sinum maris Australis, tamen hæc sufficientes non sunt, vt ijs ligna foco ministrent. His itaque natura subuenit, procreata gleba illa pingui, ac bituminosa, quæ vento indurata, lignorum penuriam subleuet, quam hi in tanta habent abundantia, vt & vicinis regionibus ijs subuenire queant: plures insuper, etiam si his destituerentur, arte ac industria naturæ defectum supplere didicerunt, qui fimo bouino vento siccato, lignorum vice, vtuntur. Atque hæc quidem de Frisiæ solo extra Franicheriæ septa longius progressis, dicta sufficient.





SUSATVM.



SUSATVM, vrbs VVestphaliæ, post Monasterium, quondam, Mediolanum, & Mimigarde vordada, opulentissima, amplissimaq; vt, quæ decem populosis sit distincta Parœcijs. Primæua fundatione castrum, seu Præfecturam fuisse perhibent, quæ in tantam paulatim urbem excreuerit. Inde; Susati adpellationem natam, quòd ob loci situsq; opportunitatem, ædificiorum aliquid ad castrum ipsum semper accesserit, vt à quotidiano incremēto, Susatum, quasi *Ein zusatz*/sit cognominatum. Complures pagos vicinos sibi subditos occupat, olim Præfecturas minores, quos populari nunc lingua, *Die Bården*/indigetant, quòd grauamina & onera, à quibus ciues immunes sunt ac liberi, sustineāt. Ager, etli totius passim VVestphaliæ syluis, & pecorum pascuis, quàm aruis sit lætior, circa Susatum tamen atq; Hammonem, frumētaria gleba foelicior: Salinarum etiam foecunditate commendatur.


Vicinus namq; vrbi Passendorff, pagus, salinis celebris, maximam præstantissimi salis copiam, quotidiano censu suppeditat, vnde non Susatensium modo, sed & vicinorum, remotioribus passim locis, necessitati subuenitur. Earum verò salinarū domini, patritijs, vt plurimum orti familijs, vrbs sunt ciues. Vrbs ipsa mōtas sex, ad communem ciuium vsū habet, quibus aqua, qua circumagitantur, detrahendæ facultas, exteris est omnis præcisa. Est in ea magnificum Canonicorum Collegium D. Patroclo, qui & vrbs patronus est tutelaris, sacrum. In eo hoc tempore Præpositus est, vir celeberrimi nominis Godefridus Gropperus Agrippinas, Ecclesiæ Coloniensis archidiaconus, lureconsultus, eloquentia & eruditione, magnisq; legationib. percelebris. Multis ac varijs priuilegijs & immunitatibus, Susatientes gaudent, inter quæ id cōprimis memorabile, quod præcæteris VVestphaliæ oppidis, nō solum in proprio, verum etiam vicini Principis fundo, cuiuscunq; generis feras venandi ius obtineant. Vtitur præterea vrbs ipsa mero ac mixto imperio, & sub Illustrissimi Cliuorum, Iuliacensium, ac Montensium Ducis clientela degit: cum ante sub Archiepiscopo Coloniensi fuisset per annos ducentos, octuaginta, à tempore Friderici primi Imperatoris, quo ille Henricum Leonem, Saxoniam Ducem, prouincijs pulsus, omni exuerat feudi dignitate. Tum & Susatum coepit parere Ecclesiæ Coloniensi, vsq; ad tempora anni M. CCCC. XL. quando Susatientes amicitiam Adolphi Cliuensis Ducis affectarunt, quòd sedicerent ab Archiepiscopo in antiquis libertatibus arctari. Itaq; ad Ducem Cliuensem defecerunt, cui saluis immunitatibus antiquis, sacramentum fidelitatis præstiterunt: multis interim nuncijs ac literis hinc, atq; inde missis; ad Ducem, vt abstineret aliena ditione: ad urbem, vt ad cor rediret, agnoscens (quem debebat) Coloniensem Archiepiscopum dominum in temporalibus & spiritualibus. sed, cum toto triennio, his atq; alijs vijs nihil proficeretur, ad arma peruentum est, vtrinq; comparata. Ioannes Cliuensis, Adolphi filius, tum filius familiæ, cum valido præsidio, urbem tandem ingreditur, salutatusq; à ciuib. Princeps atque defensor, solenni iureiurando inauguratus est. Tum validas colligens copias, ditionem Cliuensem ingreditur, urbem Xantensem obsidione cingens, quæ media ex parte, Coloniensis erat domini; quam cum vi coepisset, inde rediens Susatū, passus est se ibi obsideri. Theodoricus autem Archiepiscopus, comparatis copijs, ad obsidionem se parans, multos sibi confœderatos conciliat, Monasteriensem, Hildesheimensem, Mindensem Episcopos, Ludouicum Bauariæ Electorem, Guilhelmu Brauuiensem Ducem, Ioannē Nassouiam, Gerhardum Seienum, & alios Comites. Venerat etiam illi auxilio VVilhelmus Landgravius Turingiæ, Dux Saxoniam, inter agmina sua ducentis duo millia quingentos, ex Bohemis, homines, armis iam diu innatos, & qui sine exemplo crudeliter defœurent. Hi, in ipso itinere, Ioannem de Hoya Comitem Osnaburgi, à ciuib. vinctum, solis cōminationibus, è septennali & tam arcta captiuitate, in qua se vir procerus erigere non posset in sublime, relaxarunt. Solus Rodolphus Traiectensis Episcopus, & Bernardus Lippiæ Comes, partes Ioannis tutati sunt. Adolphus pater, propter senium & imbecillitatem, expeditioni non interfuit. Obsedit ergo Archiepiscopus Susatum, multis milibus armatorum, (scribit Coloniensis Chronographus, octuaginta millia in Episcopi castris fuisse.) Oppugnauit autem toto mense, rarò intermittens bombardarum tonitrua. Sed, cum ea non terrent ciues, apparatis magna multitudine scalis, statuit varijs simul locis inuadere murum. Erat ea scalarum multitudo, & id roboris, vt vna, tres, aut quatuor in quaque starent, & ascenderent. Oppidani aduersus ea miserunt lapides ac trabes: sed omnium erat validissimum defensionis genus, Sartagine in muris disponebant per interualla, subiecto igne, pulles in aquis bulliente feruore miscebant: hunc liquorem capacibus vasis, feruescentem fudēre in armatos, scalis incumbentes. Exuperabat ea vis omne genus tormentorum, in ipsis suis armis ardore excruciat, suffocabantur. Tormenti genus incomparabile. Tali modo defensi muri, periēre ex scandentibus plurimi, qui pro suo debito primi venerant ad arma. Nam Boiemi facile cessēre indigenis honorem, vt militia prælati, primi essent in periculis. Archiepiscopus eo accepto incommodo, oppugnationem deseruit. Ex hoc tempore, Susatum in iure Ducis Cliuensis permanet. Hæc, partim ex Saxoniam Crantij, partim ex Coloniensi Chronographo, partim ex manuscriptis, excerptimus. Ea autem, quæ sequuntur, ex codice manuscripto in Bibliotheca Dominicanorum Susaten. annotauimus, cui titulus, Mappa Mundi Magistri Iacobi de Susato, &c. In VVestphalia etiam, inquit, est Susatum, nobilis illa ciuitas, antiqua & præclara, pulcherrima & ditissima inter cæteras VVestphaliæ ciuitates, abundans, opulenta, & populosa, in campo plano, inter agros vberimos sita, muro duplici profundisq; fossatis circumdata, turrestriginta, sex principales, altas, firmas, ac pro defensione dictæ ciuitatis, si opus esset, interiori muro annexas, per girū habet & benè munitas, habet inquam & decem portas ad diuersas regiones exitum præbētes. Sunt ibi plures Ecclesiæ, pulchræ Sanctorum laudibus, sumptibus gloriosis consummata. inter quas magna est famosa Ecclesia, miræ magnitudinis, turri maximæ altitudinis, gloriosi martyris S. Patrocli, dictæ ciuitatis gloriosi patroni. Ibi Collegium Clericorū die noctuq; Domino famulantium. Ibi religiosorum sanctimonialium pulchra monasteria, quæ circa Dei cultum diurnis nocturnisq; horis, diuinis obsequijs deuotissimè in sanctitate occupantur. Erat enim hæc ciuitas oppidum olim inclytum regni Augarorum, & postea caput Ducatus VVestphaliæ, ad Duces Brunsvvicenses deuolutum, sed ab Henrico Leonis, Duce Brunsvvicensi deperditum propter crimen læsæ Maiestatis, impositum eidem per Fredericum I. Imperatorem, Anno 14. sui Imperij, ab ipso patienter in pœnam receptum, & Archiepiscopo Coloniensi Reinoldo, cum toto Ducatu VVestphaliæ vsq; ad sagittæ iactū in Rhenum gratiosè datum, & sic infeudatur, quia prædictus Archiepiscopus, prædicto Frederico in obsidionē ciuitatis Mediolanensis, à qua fraudulenter, dictus Henricus Leo recesserat, fidele præbuit auxilium, & constanter. Insuper & Philippus successor Reinoldi à Frederico Imperatore iam dicto, pretio quinquaginta marcarū puri argenti & seruitio corporali fortissimo & multiplici comparauit, sibi suisq; successoribus & Pontificali dignitati perpetualiter incorporauit, voluitq; sibi de consilio Ducatum hunc emere pretio tantillo potius, quàm in beneficia accipere propter maiorem sibi firmitatem.

VVARBVRGVM.



VVARBVRGVM, non inelegans VVestphaliæ oppidum, situ est inæquali, Dimulæ aquis instructum, Comitatus olim titulo, vti Hammelmanus perhibet, illustre, qui idem hoc oppidum à præstanti commendat cereuisia, gratissimo ijs potu, qui cum paruo crumenæ dispendio, genio indulgere cupiunt.

SOEST.



SVSATVM ciuitas fere inter
Westphalicis maxima, et opulen-
tissima

S. Pauli par.
S. Petri Veteris edes par.
De alle kerck
S. Georgii par.
Collegium S. Petri
Das Münster
Duc. Virg. nis in pratis par.
D. Virgini in alris par.
S. Thomae par.

Porta D. Jacobi
Porta ad Nothen

Porta Orientalis
Porta S. Thomae



1. Die Nistker kercke.
2. Die Alstedter kercke.
3. Icy den schwarzen broderen.
4. S. Peters kercke.
5. S. Iohannes kercke.
6. Dat Nie dor.
7. Die Neben stollen.
8. Dat Daster dor.

10. Vor dem stollen dor.
11. S. Thomae kercke.
12. S. Iohannes dor.
13. Dat Sack dor.
14. Die Borch.
15. Die kerck op der Borch.
16. S. Iohannes stollen.
17. Die middel stollen.

WARBORCH.

Warburgum, elegans Westphalia Opp.





FRANCOBURGVM.



Hafsia, regio Germaniæ, frumenti, fructuum, leguminumq; feracissima, & lætissimis distincta pratis, vrbibus est ornata pulcherrimis, Landgraviatus titulo præstans, Cattis quondam culta, & inhabitata; qua ad Occidentem V Westphaliã respicit, FRANCOBURGVM, oppidum perelegans, situ amœno, & antiquitate commendatum, ostentat. Referunt namque annales, prima id ipsum fundatione Dieterum Francorum Regem, circa annum Christi D. XX. eo loco excitasse, vbi se vallum & propugnaculum, contra feroces Saxones, gentẽ, Hefsis vicinam, exhiberet. Solebant quippe veteres, quando dæmoniacarum machinarũ Martis, vltus non erat, præsidia sua æditioribus in locis, vnde & nomen consequebantur, collocare, quod isto tractu frequens admodum fuit. Hinc, Isenberch, Falckenberg, Sternenberch, Rauësberch, Sparenberch, &c. Quẽ admodum & castro præualido munitum hoc oppidum Franchoburch, Edera fluuio irrigatur, quem & Adernã vocant historiã, vulgò, *Die Eder*/ Ab Eobano Heflo, Aurifer dictus; Regum Franciã sedes, eo potissimum tempore hic extitit, quo perpetuum ipsis cum Saxonibus bellum fuit. Quare consuetudine maiorum, bellicosi, cũ necessitas postulat, venationi alioqui, & agriculturæ dediti Francoburgenses sunt ciues, qualis etiam Heflorum in vniuersum est indoles. Quemadmodum Helius Eobanus Heflus, de Cattorum suorum genio, eleganter scribit.

<i>Talis ẽ ipsa situ, talis regione locorum</i>	<i>Æquatosq; solo campos rimantur aratris,</i>
<i>Et fluijs, siluisq; frequens, ẽ montibus altis</i>	<i>(Namq; ẽ planicies, segetum fœcunda patentes</i>
<i>Hafsia, nature similes creat alma locorum</i>	<i>Explicat innumeras, ẽ plena messe colonos</i>
<i>Ceu natos in bella viros, quibus omnis in armis</i>	<i>Ditat, ẽ ipsa sibi satis ẽst,) aut ardua sylua</i>
<i>Vita placet: nõ vlla iuuat sine Marte, nec vllã</i>	<i>Lustra petunt, canibusq; feras sectantur odoris,</i>
<i>Esse putant vitam, qua non assueuerit armis.</i>	<i>Venatu genus assuetum, genus acre virorum;</i>
<i>Quod si tranquilla vertantur ad otia pacis,</i>	<i>Aut leges, ẽ iura ferunt, aut oppida condunt</i>
<i>Otia nulla terunt sine magno vana labore:</i>	<i>Fortia, non solum bello munimina, verum</i>
<i>Aut duro patrios exercent vomere colles,</i>	<i>Qua deceant in pace etiam, oblectentq; quietos, ẽc.</i>

Hæc autem regia sedes, quæ Francoburgum, vel, vt alij, Francobergomum, oppidum perillustre & clarũ reddidit, Marpurgum Hafsia est trãslata, quando D. Elisabethæ fama innotescere cœpit; vtputa, Hungarici regis filia, Thuringiã Principis Ludouici coniugis, & viduæ sanctissimæ, quæ pauperũ mater dicta, vt contemplando Maria, ita pietatis operibus, vera extitit Martha. Est itaq; regia sedes hinc translata abs Elizabethæ viduæ cognatis Principibus viris, eò, quòd stirpis & familiæ suæ ornamentum ac decus, Elizabeth, Marpurgi, Teutonica in domo sepulta, diuorumq; ordini ad sociata, iam celebris admodum esset, ob benefactorum memoriam. Francoburgum interim, multis priuilegijs & immunitatibus, Carolus ille Magnus, quibus hodierno etiam tempore floret, exornauit, & ob illustres ibi partas, contra vicinos hostes, victorias, sigillo donauit, in quo castrum turrigerũ aureum, cum F. capitali litera, corona aurea circumdata, quondam conspiciebatur. Ab idolorum etiam superstitione, vtigentem vicinam liberauit, vbi Martis memoriam, vulgò, Irmans vel, ac si dicas, *Jedermans bell*/ quasi commune asylum, ac refugium omnium, deleuit: similiter ipsius Crodo, id est, Saturni simulachrum, & Magdeburgensem Venerem, euertit: Ita in hoc oppido Francoburgensi, Hannonis deleuit memoriam. Cuius talis erat figura: Sedebat Rex in folio, & ex ore eius altera parte fulmina, altera verò tonitrua cõsurgebant, ipse sceptrum, gladiumq; manu præferebat, à dexteris veterum mascula numina, Apollo, Mercurius, Neptunus, Mars, Vulcanus, Pluto; à sinistris, fœminea; Iuno, Ceres, Venus, Minerua, Diana, Vesta. Iouis autem erat idolum. Quod pientissimus, potentissimusque Rex, Carolus Magnus, euertens, Anno partẽ salutis DCCCX. peraugustum D. Virginis Matris Phantum excitauit. Pari etiam religionis Christianæ reuerentia, Henricus Landgravius, Brabatiã infans, cognominatus, Anno orbis redempti, M. CC. LXXXVI. Ecclesiam parrochialem construxit. Eius verò successor, Landgravius, Henricus secundus, Anno salutis, M. CCC. XXXVI. oppidi noui accessione Francoburgũ adauxit, nouisq; ædificijs illustrauit. Annis verò aliquot deinde, oppidi Præfectus, qui antiquam Franciã Regum, tum verò temporis, Ducum, arcem occupabat, & multa in Duces, multa in oppidanos atrocita tentabat, permitte Duce, à populo, iustas scelerum pœnas percepit. Arx etiam ipsa, Vulcani rabie consumpta, funditus euerfa est. Quemadmodum & Anno M. CCCC. LXXVI. oppidum totum igni conflagratum, miserè perijt. At situs per commodus, facilè inuitauit ciues, vt, qua modo se venustate conspiciendum præbet, breui post tempore, ex cineribus excitatum fuerit.



FRANCENBERGVN, vel, vt alij.
Hassia Opp. Francoburgum



ESCHVVEGA.



SCHVVEGA, Hafsia opp. colli impositum, læta agri fœcunditate gaudens, V Verræ fluuij aquis irrigatur, cuius opportuno vsu, Isatis herba, & ex eadem confecta tinctura, quam Thuringicum solum, frequenti fœnore suppeditat, primo, supra hoc oppidû, lapide, cimbis imposita, Mindam vsq; Inde Visurgi aquis, quæ V Verram absorbent, Bremani, & per totam pafsim Ostlâdiam defertur. De primo Eschvvegæ initio, nihil, quod sciam, historiarû monumentis comprehêsum inuenitur, eò, quòd Hungaricis bellis atq; incendijs, tertium depastû, deformatû-

que fuerit. Francobungicum tamen chronicon, dum Carolum Magnum, circa annum Domini DCCXCVI. episcopatus varios instituisse, Monasteria, Collegia, & ecclesias, multis in oppidis, fundasse commemorat, meminit & Cauffingæ, non procul à Cassela; & Eschvvegæ, ab eodem, tum temporis, excitatæ. Præclara etiam extant Henrici Imperatoris Secundi, quæ sanctum, & Hungarorum Apostolum cognominant, erga hoc oppidum merita, qui idipsû Hungaricis incurfionibus deuastatum atq; collapsum, restituit, nouis ædificijs auxit, & locupletauit. Grauisimis rursus calamitatibus afflictum fuit, Anno post orbem redemptum, M. CCC.LXXXVII. eo bello, quod inter Adolphum Moguntinum Archipræsulem, & Hafsia Landgrauium, acre defæuijt, quando etiam ad Hafsia gubernationem peruenit.

FRISLARIA.



RISLARIA, insigne ac præstans Hafsia opp. vulgo *Frislâr*/Latinè, Doctrina pacis, vt puta, vbi veræ & perpetuæ pacis doctrina S. Bonifacij auspicijs, toti Hafsia, Turingie, Franconia, & Frisiæ (quemadmodum paulò post latius) innotuit: Egræ fluuij propinquitate, & situ admodû amceno, sicuti vniuersa pafsim Hafsia præcellit. muris circumcinctû turrigeris, situm inæqualem, sicuti & regio ipsa, hinc inde montosa, obtinet: Agro tamen lauto, frumeti, fructuum, & leguminum feracissimo, etiam vini, cuius tamen fertilitate, non est hæc regio admodum præstans. Et quamuis in ipsa Hafsia, Frislaria sese conspiciendâ præbeat, ad Mogûtinum tamen Archiepiscopum pertinet, vnde varijs fortunæ & Bellonę casib. frequenter exposita, maximas abs Hafsia ducibus calamitates frequenter pertulit. Quemadmodû & à Saxonibus expugnata, & fœda exustione deformata fuit, qua de re, ita in Saxonia sua Albertus Crantzius lib. 2. c. 10. Saxones, inquit, iniuriam prioris anni vindicare volentes, mouerunt in Hassones, qui iam Francis paruerunt, & ad oppidû Frislariâ pugnauerunt, magna internecione cædentes, qui obuiam prodirent. Ecclesiam insignem eius oppidi, quâ Bonifacius episcopus & Martyr prædixit incremabilẽ, diu frustra tentauerunt incendere. Visi sunt in albis duo iuuenes, qui incendiû restinguerent. vnde territi Saxones, aufugerunt. Repertus est ad ostiû ædis sacre genib. nixis Saxo extinctus, faucibus hians, quasi flâmam excitaturus. Hæc ille. Hæc autem Ecclesiam admodû magnificam, D. Petro sacram, monastico sodalitiõ nobilem, verè Germanorû Bonifacius, prius V Vinfridus appellatus, construxit. Is enim, cum amabili religiosissimorum virorû societate, Saxonib. Britanniam deuantantib. immanemq; in Christianos tyrannidem exercentib. verso solo, patriaq; exulans, & in Hafsia Frislariâ sese conferens, Euangeliû pafsim diuulgat, sacras ædes ædificat, gentilium idolorû, & dæmonum cultû, Germanorum animis eximit, cœnobicia, ceu concionatorû diuini verbi, & religionis Christianæ seminaria, extruit. Præclarissimû etiam Fuldense monasteriû, inter Hafsiam, Franciâ orientalem, & Vuederouiam, situ iucundo excellens, fundauit. & non in Hafsia tantû, quam lignis & fontibus sacrificare offenderat, sed & in Thuringia boni verbi semen spargens, Francorû etiam extitit Apostolus. Quin & gentem Frisonû, paganicis adhuc ritibus imbutâ, à dæmoniacâ captiuitate liberat. Conspectis tantis Bonifacij virtutib. Carolomannus & Pipinus Regni Francorum Principes, cõmuni totius cleri & populi consensu, Moguntinensi ecclesiæ habenas ipsi cõmiserunt, eamq; vt dignitas eminentior foret, quæ prius alteri subiecta fuerat, Metropolitanam constituerunt, vt à Bonifacio, Archiepiscopi Mogûtini initiû sumpserint. Iam tantus creatus episcopus, rebus ecclesiæ suæ, quàm optimè constitutæ, Lullo commissis, ad eos quos docuerat populos, magno pietatis zelo cõmotus, partim in fide debiles, partim relapsos, confirmãdos, reuertitur. Hinc tertium in Frisiam redit, vbi à furente paganorum turba, nefariè occisus, glorioso martyrio, maximis laboribus suis finem imposuit. Hæc paulò à me fusius sunt repetita, vt Hafsia, & in ea Frislariæses, cuinam fidei & religionis Christianæ primordia post Deum debeant, pio gratoq; animo cognoscant.



LIBRARY



VVERDENA.



VERDENA, in VVestphaliæ aditu, ad Ruræ amnem, in ditione Markensi oppidum, occasione cœnobij, à S. Lutgero ibidem instituti, quemadmodum multa alia in Germania oppida, initium habet, à VVilhelmo de Hardenberg, quadragesimo secundo Cœnobiarcha, Anno salutis M. CCC. XVII. excitatum, & ab Engelberto, Comite de Marka, ciuilibus priuilegijs, quibus etiamnum gaudet, donatum. Omnem, quocunque innotescit, splendorem, quemadmodum & ortum, magnificæ, & celeberrimæ huic Abbatia debet. Ea autem in honorẽ Saluatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Stephani Protomartyris, Laurentij Diaconi, Martini Confessoris, prima institutione excitata, multis Regum & Imperatorum est priuilegijs, & libertatibus aucta. Exhibent namque eius modò Collegij fratres Diploma signatum, & Caroli Magni manu subscriptũ VVormatię, Anno reparatæ salutis D. CC. II. Exhibent & cõfirmationem VVilliberti Archiepisc. Colonien. & plurima alia antiquissima diplomata. Primus autem Collegij VVerdenensis fundator & Rector, fuit S. Lutgerus, primus Monasteriensium Episcopus, Synchronus S. Bonifacij & VVillibrordi, oriundus è Frisia, Præceptorem habuit Alcuinum, & S. Gregorium, qui S. Bonifacij discipulus, in Traiectensi monasterio, ipsum cum multis alijs erudiuit, è quibus postea, multi sunt facti Episcopi, alij in minoribus gradibus, Ecclesiarum Doctores. Quorum etiam aliqui, ijque ex parentela S. Lutgeri, à prima fundatione, post S. Lutgeri obitum, ad annos ferè LXXVI. monasterio VVerdenensi præfuerunt. Nempe:

Sanctus Lutgerus, primus fundator, in cœnobia suo, VVerdenæ sepultus.

1. Hildigrinus, primus Episcopus Halberstadiensis, frater S. Lutgeri, sepultus VVerdenæ.
2. Gerfridus, secundus Episcopus Monasteriensis, frater S. Lutgeri.
3. Tidgrinus, vel Thiagrinus, secundus Episcopus Halberstadiensis, nepos S. Lutgeri, in VVerdenensi cœnobia sepultus.
4. Altfridus tertius Monasteriensis Episcopus, affinis S. Lutgeri.
5. Hildigrinus Iunior, quartus Episcopus Halberstadiensis, & hic nepos S. Lutgeri.

His autem primis monasticæ regulæ VVerdenensis conseruatoribus, quinquaginta, interrupta serie, ex ordine successerunt Abbates, viri genere, & maiorum splendoribus illustres, quorũ quinquagesimus, & vltimus fuit Conradus de Gelichen, qui suo tempore tres tantum habuit secum Capitulares fratres, nimirum, VVilhelmum de Rifferscheidt, Præpositum, VValramum de Symmern, & Ioannem de Limburch, sub quibus strictior viuendi norma, & alia est introducta reformatio. Resignantibus ipsis, Monasterium penè collapsum, vna cum cunctis prædijs, alijsq; bonis non optima diligentia adseruatis. Introducti sunt autem religiosi fratres, qui summo labore, & industria, minitans ruinam collegiũ, restaurarunt, recuperatis, quantum pro tempore potuit fieri, prædijs ac possessionibus multis circa annum Domini 1474. quo anno Nouesium obsidione cinctum erat. Facta autem hac resignatione, & necessaria, nouaq; reformatione introducta, Collegij VVerdenensis administrator & cœnobiarcha constitutus est Quinquagesimus primus, D. Adamus, ad S. Martinum Maiorem Colonia Abbas, qui præfuit annis 4.

Huic successit 52. D. Theodoricus Iagendorn, ex monasterio S. Petri Erfordia, assumptus.

53. Antonius Grimmolt.

54. Ioannes de Groninga.

55. Hermannus ab Holte, vir ab insigni doctrina & pietate commendatus, electus Anno 1540. mortuus Anno 72.

56. Henricus Duiden.


Sed iam Abbatia relicta, oppidum nunc ipsum ingrediamur. In quo oppidani rem pecuariam, vnde & plurimum victitant, exercent, agros habent lætos, & cõpascuos, montes præaltos & syluosos, in quibus incredibiles porcorum greges oberrare quandoq; videas (vnde indurata fumo perna, & petasones VVestphalici, grata cauidicis munera) & riuulos, gratissimo murmure ex montibus susurrantes. Quin & ex præterlabente Rura, commoditates haud pœnitendas percipiunt, vnde piscibus, & sapidis pinguibusq; abundant anguillis. Vtraq; hinc Ruræ ripa, lapideo ponte coniungitur, magno itinerantium compendio. Accidit autem Anni Christianæ salutis Tricesimi tertij supra Millesimum Quinquagesimum, initio, postquam prior eius tunc hyemis medietas, solito asperior, & densa glacie, ac supra modum alta niue, grauissimè inhorruisset, atq; iam post natalis Christi diem, mox aère tepescente, succedentibus diebus, in ipso Ianuarij Mensis capite, ingruentibus magnis imbribus, nix ipsa tardior, magno cum impetu resoluere, vt ipsum Ruræ flumen, tantis aquarum inundationibus eleuaretur, vt ingentẽ Pontis molem euerterit, excusserit, & remouerit. vt oppido etiam ipsi tantus aquarum impetus ruinam minitari videretur. Aqua nempe retro principis Arcem, disrupto muro, viam sibi parauit. Tanto autem fragore ea inundatio insonuit, vt cataractæ Nili fluminis, eo viderentur translata fuisse.

ESSENDIA.



ESSENDIA, Imperiale, sub Montensis Ducis tutela, oppidum, Collegiato virginum, & Canonicorum sodalitia præstans. Quod Alfridus quartus Hildesheimensium præsul, ex paternis facultatibus fundauit, vt sub religiosa Abbatissæ educatione quinquaginta & duæ, Deo nuncupatæ virgines, pietatis exercitijs imbuerentur, et xx. similiter Canonici, sub eius loci decano, canonicam viuerent vitam. Asyli priuilegio Abbatia gaudet, & locus in ea maximè, Die Boist/ nuncupatus, villæ aliquot vicinæ, eius subsunt dominio. Ecclesia ibidem perelegans, in qua tabula exhibetur visenda, Bruinij illius Agrippinatis opus. Ager frumenti, & tritici præstantissimi ferax, vnde candidus Essendia panis in pretio est. Oppidani, negotiationem etiam remotam, alij texturã, fabrilem complures exercent. Non alium facile reperias locum, vbi plura conficiantur omnis generis sclopeta. Fontibus abundant, & atro carbonario lapide, quem territorium vicinum passim suppeditat, potissimum verò, qua Stelnum est, ad Ruræ amnem, oppidum.





HALBERSTADIVM




HALBERSTADIVM, primæua fundatione, Elboreftadium, Saxonix in Germania oppidū, Epifcopatui eius nominis, adpellationem præbens, à Carolo Magno, nunquam fatis laudato Galliarum Rege, & Imperatore Romano, inftituito, qui longa experientia, belloque diuturno, cum Saxonibus gefto, edoctus, cognouit, eam gentem, vtputa infrenem, fortem, atq; ferocem, armorum ftrepitu minùs domari, beneuolentia autem, legibus, pietate, & Religione placari & cōferuari poffe. Hinc multorum, qui tunc temporis aurei, pedum circūferebant ligneum, epifcoporum gubernationi, & fpiritali curæ eam cōmifit. Quemadmodum & Anno falutis, DCC.LXXX. non quidem Halberftadij, fed apud Selingenftadium, fiue Oftervvicum, quo in loco idem Carolus Magnus magnificum templum, D. Stephano fācram, conftituit, oportuna Epifcopo fedes delecta & conftituta eft, vfitata tum adpellatione, Salingenftadiani, & Oftervvicenfis Epifcopatus, innotefcens, longo verò poft tēpore, vt fcribit in fua Saxonix Crantius, & in opere de Epifcopatibus Germanix Brufchius, ab eodem Carolo Magno & primo Antiftite, S. Hildegriuo, ad confluentiam Albi & Oræ fluuioꝝ transfatus. Huic nouæ vrbi, & Ecclefiæ iam inchoatæ, ab annium confluxu, nouum etiam nomen indiderunt, adpellantes eā Alboreftadiū, quafi urbem ad Albin, & Oram amnes, conftitutam. vnde facilè adparet, fitu eam admodum oportuno, cum præter aquarum cōmoditatem, agrorū etiam non fit ei denegata vbertas: quæ quidem tanta deprædicatur ab omnibus, vt fegetum culmos, equitem transcendere ferant. Accedit ad hæc, nitor & elegantia vrbis, ædificiorum fplendor, amplitudo fori, & collegiatum Canonicorum fodalitium. In quo, dum canonicè canonici viuerent, clarum adhuc pœnitentiæ publicæ, in primitiua Ecclefiâ vfitatæ, extabat veftigium. Cuius quidem rei confuetudinem Pius Pontifex, & poft hunc, Volaterranus, in literas retulerunt, fed velut ritū barbaricum, neuter enim intellexit. Volaterranus inftitutum vocat inauditum. eft autem huiufmodi: Singulis annis eligitur aliquis è plebe, qui comediam pœnitentis, & confitentis agat. Is in capite ieiunij Quadragefimalis ad templum adductus, in cultu lugubri, & qui pœnitentem deceat, nimirum, caput obuolutum habens, poft Sacrum deinde eijcitur, perque totos illos quadraginta dies, nudis pedibus vias vrbis terit, templorū moles circuit tantūm, non intrat, nec cum quoquam fermonem mifcet. Canonici huic cibum præbent, quem ille, qualè qualem, boni confulit. Non indulget fermoni, nifi poft mediam noctem, idq; in plateis. At in die, quæ Dominicæ cœnæ dicata eft, ad templum reducit, & à Sacerdote, non abfq; longis, fed pulchris ceremonijs abfolutus, à plebè ftipem accipit. Hunc Adamum vocare folent. Atq; hoc eft, quod nonum caput Agathenfis Concilij præcipit, & refertur etiam à Gratiano, Difftinctione 50. Eft autem tale. In capite Quadragefimæ, omnes publicè confitentes, ante fores Ecclefiæ fe repræfentent Epifcopo ciuitatis, facco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proftati, reos fe effe ipfo habitu, & vultu proclamantes: ibi adeffe debent Decani, id eft, Archipresbyteri, Presbyteri Parrochiarum, Presbyter pœnitentiū, qui eorum cōuerfationem diligenter infpicere debent, & fecundū modū culpæ, pœnitentiam per præfixos gradus iniungant. Poft hæc Epifcopus in Ecclefiam eos introducat, & cum omni clero feptem Pfalmos pœnitentiales, in terram proftatus cum lachrymis, pro eorum abfolutione, decantet, tunc refurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam fuper eos benedictā fpargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris fufpirijs eis denuntiet, quòd, ficut Adam proiectus eft de Paradyfo, ita & ipfi de Ecclefiâ pro peccatis fuis abijciantur. Poft hæc iubeat miniftris, vt eos extra ianuas Ecclefiæ expellant, clerus verò profequutus eos cum Refponforio, in fudore vultus tui, &c. vt videntes fāctam Ecclefiam pro facinoribus fuis tremefactam atque commotam, non parui pendant pœnitentiam. In fācra autem Domini Cœna, rurfus ab eorum Decanis & Presbyteris Ecclefiæ liminibus repræfententur. Hactenus decretum Agathenfis Concilij, partim antiquitatis amore, partim, occafione confuetudinis Halberftadenfis Ecclefiæ, prolixius retulimus.

QVEDELINBURGA




QVEDELINBURGA, vrbs antiqua, & primorum in Saxonix Principum decus, haud ita procul à Parthenopolitana vrbe, quæ nunc Magdeburga in Saxonix, diftans, ab Imperatore Henrico Aucupe, vnà cum nuncupatarum Deo & Religioni Domicillarum Collegio, conftituta, cui primâ Abbatiffam filiam fuam, Machtildim præfecit. Oppidum fanè concinnum, antiquitate, dignitate, & opibus præftans, quandiu primæua fundatione, legitimum magistratum Abbatiffam agnouit, cui, quando male parebat, ab Ernefto, Saxonix Duce oppugnatur, & Rolandi ftatua, quâ pro libertatis indicio, ab antiquo habuerat, priuatur. Qua de re plura in Indice.






HALBERSTADIVM, Vrbs Saxonie
 tam politica institutione, quam situ et Ca:
 nonicorum Collegio, nobilissima



QVEDELINBURGA, ANTI:
 QVISSIMVM SAXO:
 NIAE OPPID:






VVINMARIA.



VINMARIA, siue VINARIA, nitidissimum Turingiæ Opp. nomen habet à vino. nam **Weinmayr** / siue **Wynnmayr** vinitorem, Turingico idiomate denotat; Quali vinearum aliquis cultor, ea primùm loca inhabitans, vineas ibidem colere cœperit. Idcirco eruditi nunc passim, Vinariam eam nominant, non, quod à vinario foro, nominis sit etymon deductum, quod plerique non ineruditi existimâtes, Vinariam hanc nostram *μειδώνη*. Ciues verò *μειδωνάδες* adpellitant; quasi **Mar** / ex **Mayr** factum, Germanis **Markt** / hoc est, forū delignaret. Verùm eos hîc labi, inde facile conspici potest, cū in Germania pro vinitore **Weinmayr**, vsitatissima sit adpellatio, sicuti & Bauaris ea est compositio recepta, quæ hanc nostrâ sententiam confirmat. Ita **Bühelmayr** Colonom, collem, aut colentem, aut inhabitantē designat. **Bachmayr** / iuxta fontē, **Kirchmayr** / Messor, vel agricola, iuxta templū habitans: Sic **Obermayr** / **Nidermayr** / **Baldmayr** / **Dietmayr** / **Lynßmayr** / Quæ pleraq; omnia, postea, cum à Latinè scribentibus vsurpantur, i, literam abijciunt, vt **V**Valdmarus, **D**Dietmarus. Atque hæc quidem genuina, & quotidiano Germanorum vsu recepta huius vocolæ, **Mayr**, in fine dictionum cōstitutæ, est significatio. Aliud verò hæc eadem principem vocularum occupans locum, designat, vt **Marschalck** / id est, equorum minister, aut equitum inspector, ac gubernator, **Marßall**, Stabulum equorum, &c. Sed hæc de nominis origine satis, & nimis fortasse multa. Vinaria igitur, inclytam Saxonix Ducibus sedem, & domicilium amcenisimum præbens, venustissimis tam publicis, quàm priuatis ciuium est decorata edificijs. Quemadmodum aëre salubri, ita agro non tantum rerum vtilium & necessarium fœcundo (Turingia nanque ob fertilitatem sumen existimatur Germaniæ) sed & delicijs, nobilium hominum voluptati mirificè blandientib. præcellit. Nā præter omne frumenti genus, læta etiam Bacchi, Germanis grata donaria, Isatidem herbam, vulgo **Weidt** / quæ non alia, quam pingui alitur gleba, Lanarum infectoribus abundè præbet. Limpidissimos etiã fontes & aquas, gratissimis susurris suauius circumsonantes; Nemora itidem & saltus, ad venatus ferarum, quibus ad admirationem abundat. Quæ quidem grata naturæ, eiusq; auctoris dona, Imperatores quondam Augustos, vt hîc potissimum agerent, inuitarunt. Prout ex historiarum monumentis de Magno Ottone constat; De eius etiam patre Henrico Aucupe, qui in Turingia iuxta Arcem **Tschenburg** / Turingica nobilitate ferēte suppetias, graui, & arduo conflictu, quadraginta Húgarorum millia cecidit. Imperij quoq; comitia Otto secundus hîc **V**Vinariæ, perhibente Lamberto Schaffnaburgensi, celebrauit. Neque verò luxuriâs tantum agri fœcunditas, Principes viros huc semper inuitauit, sed & peramcena vrbs elegantia; politia quàm optimè instituta, cæteraq; vrbium amplissimarum ornamenta huc eos potissimum pertraxerunt. Videas hîc namq; consecrata Numini peraugusta templa; Misericordiæ itidem sacrificijs loca publica nuncupata, & amplis dotata redditibus, vti sunt Hospitalia, Nosocomia, & vbi contagiosis infecti morbis, curantur, Quem riuulus aëri purgando destinatus, permeat. Fluiuolus similiter, vulgo **Die Lotta** / molinarias exagitans rotas, vrbem ipsam illabatur, quotidiano ciuium vsui, & platearū nitori subseruiens, quem piscinæ deinde & foueæ vrbs resorbent. Videas similiter id, quod politiæ prouidentiam demōstrat, Horrea, quæ stramentis, furiosi Vulcani rabiem alere possent, ex vrbs pomcerijs remota; experientia, quæ optimarum consuetudinum ac legum Inuentrix esse solet, credo, cū magno detrimento edocti. Nam Anno salutis M. CC. XCIX. & Anno M. CCCC. IV. lamentabili incēdio vsq; ad eò deformata **V**Veinmaria fuit, vt formam vix vrbs retinuerit. Verùm is casus, magnæ quidē infœlicitatis huic vrbi extitit; quod verò temporis successu, nō instaurata tantū, sed superbissimis etiam, & magnificis ædificijs decenter fuerit ornata, eiusdē splendoris est, & ornamentis. Quo arx etiam accedit Saxonix Ducū magnifica, splendidis ædificijs nitens, numerosæ & amplissimæ familiæ capax; & præsertim amcenisimus, dulcissimusq; hortus, præstantissimis herbis, & fructiferis arboribus ordine bello, in quincuncem positus, luculēter ornatus, areolis ex odoriferis florib. & medicis herbis haud secus distinctus, quàm si vel Apellis, vel Dureri penicillo depictæ forent; cū sepimentis ex rosa, buxo, rosmarino, lauro, eiusdemq; generis fruticibus, venustè semper virentibus: Aquis etiam ex præterlabēte Ilmo flu. piscoso, æneis fistulis passim deductis, arborum & plantarum radices adaquantur. Maximam autem delectationem præbet elegans & pellucida horti medio turris, ex qua aquulæ gratissimo murmure obstrepunt, & subiectum in lacum delabuntur, vt ad eò incredibilem prorsus istius horti spectatio admirationem habeat.

WEIN MAR.



WINMARIA, FERTILISS. THV-
RINGIAE VRBS PRAESTAN-
TISSIMA VVLGO Weinmar

Johann profus Rector Gymnasij Pfortensiu 1700



MONS REGIVS.



MONS REGIVS, vulgo *Königsberg*/ Pruteniæ, quæ in Sarmatia Europea, primarium & nobile oppidum, Boemiæ Rege Ottogaro, vt eu Dubravius nominat. (Alij Otthacarum, & Methonius lib. 3. cap. 53. Primislaũ nuncupant) suadente, à cracigeris, prima, anno Christi M. CC. LIV. initia sumptit, quemadmodum latius perhibetur in Indice, excitata primum arce, qua feroces Prutenorũ ceruices, suavi Christi iugo tum nondum assuetæ, in officio retinerentur, eoq; à primo inuentore, Mons Regius cognominatur, cui oppidulum, anno statim sequenti, coniunctum fuit, eo loci, vbi nunc D. Nicolai Fanum conspicitur, sed deficientibus Prutenis, & seditionem aduersus Ordinem Teutonicum concitantibus, Anno Christi M. CC. LX. recens id oppidum exustum, ac dirutũ. Vrbs mox alia arci propinqua construitur, vbi oppidum nunc vetus existit. Temporis deinde successu, dum loci situsque oportunitate, nouæ vrbs dignitas augetur, aliud excitatum est oppidum, ab hac, Bregla amne distinctum, ab ordinis Commendatore Bartholdo, ex stirpe Austriaca, Anno Christi M. CCC. tunc quidem oppidum nouum, iam verò, *Die Lebenicht*/ cognominatum. Oppidum denique tertium, *Kniphoff*/ nomine, Anno salutis M. CCC. LXXX. accessit, à celeberrimi nominis Magno Magistro, VVinrico Knipenrode cõstructum, loco vliginoso & paludoso, quare fistucatis, vt plurimum, palis nititur. Tria autem hæc oppida, frequentissimo, & opulento habitatore culta, copiosa habent, & ampla diuersarum adpellationum suburbia, adeo populosa, vt vno frequenter tecto, (cellas etiam subterraneas inhabitant) quinque, sex, octo, quandoq; etiam decem, cõprehendantur familiæ. Vrbes hæc tres diuersæ, quemadmodum et suburbia pulcherrimis Ecclesijs, edificijs item publicis & ciuiũ priuatis, cocto, ex lapido, decorantur, ne incendij deformedur furore. Arx ipsa, Ecclesiã magnificam exhibet; vrbs vetus, Basilicam Parochialẽ. Iuxta, in suburbio Steendam, Fanum D. Nicolai, oppidanorũ sepultura destinatum. In oppido *Kniphoff*/ Cathedralis est Ecclesia: iuxta Mœnia, oratorium nouum, cœmeterium ciuium. In *Lebenicht*/ S. Barbaræ templum editiore loco conspicitur. Ecclesia noua, in foro equino: Cœnobium quoq; virginũ à Knipenrode Magno Magistro, fundatur. Duo insuper alia fuerunt cœnobia, nunc, in granaria Ducis conuersa. Arx deinde Magnifica & elegans, proximæ dignitatis, subsequitur: tum, Episcopi palatium, & domus, conuiuationi publicæ, & suauibus oppidanorum collationibus nuncupata. Vrbs gubernatio, penes ordinem Teuthonicum & post diuentum atque amissum Marieburgum, magni Magistri residentia hic semper fuit: nunc Pruteniæ Duces hic rerum dominantur, qui vrbs habenas senatorum; suburbiorum autem, Amptmannorum, quos vocant, administratione gubernant. Ciues, præter mechanica, exercitia, negotiationem etiam maritimam tractant. Fumenti vim magnã distrahunt, cinerũ, picis aridæ, & liquidæ (*Thar*/ nos Germani vocamus) salis, lini, canabis, ceræ, seui, lignorum, (vulgo, *Wagenschort*) mellis, Medi, ex melle, dulcis est potus genus, quæ omnia Liuonia abunde suppeditat. Lingua vtuntur Germanica; quadam etiam, vulgo, *Koessligschs*/ nuncupata, sed, qui ab obsequijs & ministerijs sunt ciuibus, vt natione ac patria, ita quoq; lingua sunt diuersi. In regione aut ipsa, præualet Prutenica. Vrbs deniq; ipsa Chrono, seu Bregela, flumine admodũ copioso, atq; piscoso, distinguitur, qui in Venedicum se sinum exonerans, onerarias dorso sustinet naues, cuius margines pontibus septem coniunguntur. Iuxta Arcem, lacus sunt bini, quos amnis, *Rasbach*/ vulgo nuncupatus, permeat, & Breglæ deinde aquis miscetur. Ager vrbi vicinus, gleba, frumento idonea, pascuis, & cultissimis hortis præstat. Planus est, montes hinc inde aliqui, sed non admodum magni, confurgunt.

R I G A.



RIGA, Vrbs Liuoniæ Metropolitana, Emporium eo tractu post Gdanum Prussiæ, diuersarum nationum frequentatione, celeberrimum, situ plano, cuiusmodi est Liuonia fere tota: Duria, præcipuo, & maximo totius Regionis flumine, quale Håburgi in Saxonia, Albis, alluitur, quod ex Rutenia ortũ, duobus infra Rigam miliarib. Oceano Germanico permiscetur, vnde summã piscium & cancorum copiam, tam præterlabens flumen, quàm stagna, & maria Liuoniæ maxima, Rigensibus vicinisq; locis affatim suppeditant. Quemadmodum & ferarum tam frequens vbiq; venatio, vt ea ne rusticis quidem, licet crudeliter à nobilitate habita, vnquam sit interdita. Incredibilis soli vbertas; quare frumenti sic pretiũ tenue, quod onerarijs annuatim nauibus, per totam Ostlandiam, Hollandiam, Zelandiam, Brabantiam, Angliam, & in Hispaniam defertur. Re pecuaria, tam est opulenta, vt bos admodum pinguis, tribus daleris, porcus faginat, daleo cũ dimidio Rigæ & Reualix veneat. Adeo, vt Liuonia nõ ineptè, quondam à Germanis, Bliuonia diceretur, vtputa, quæ vberrate & præstantia Soli, ad continuam ibidem residentiam facile inuitarit Germanos. Illis namq; manere, *Bleiben*/ appellatur. Est autem à Saxonum gẽte, & potissimum à Bremensibus mercatoribus Liuonia primũ inuenta, qui cum mercãdi, & commodi gratia, eò frequentius redirent (Gentem namque incultam & simplicem offendere, ita vt expressam è melle cerã veluti excrementa adib. eijcerent) Meynardum Zegebergensẽ Canonicum secũ religionis ergo, cõduxerunt, qui agresti & incultæ plebi, redemptionem, pacemq; dominicã annuntians, multis superatis difficultatibus, Episcopalem sedem Rigæ constituit, Anno à C. N. M. C. LXX. Quo, cum annis xxiii. verum egisset Episcopũ, morte sublato, ab Archiantistite Bremensi, nouus constituitur præsul Bartholdus. Is, prima Rigæ fundamenta ponens, vrbs formam, murorum ambitu excitauit. Et cum annis xi. commissam sibi administrasset Ecclesiam, crudeli, ab infidelibus, morte sublatus est. Tum rursus abs antistite Bremensium, quorum Riga Colonia, tertius designatur Episcopus Albertus. is adib. sacris, summaq; Ecclesia Rigam exornauit: Et temporum deinde successu, in eam paulatim magnificentiam Riga excreuit, vt Episcopatum Prussiæ, & Liuoniæ, nempe Reualiensis, Curiensis, Oeseliensis, Derptensis Ecclesiarum sit facta Metropolis, & primum consequuta Archiepiscopum Adolphum, anno salutis M. CCLV. qui ita ad Mare Balthicum Cleri primatum teneret, quemadmodum in Monte Regio, penes magnum militiæ Teutonicæ Magistrum, omnis totius ordinis in Prussia atq; Liuonia potestas fuit. Cæterum, Teutonica nobilitas, Archiepiscopi gubernationem turbare incipiens, intestinis agitata dissidijs, barbaro hosti, cui ante formidini, tum ludibrio fuit, vt in indice, ob huius loci angustiam, paulò latius.

TIGVRVM



TIGVRVM, absque omni controuersia vna est ex vetustissimis vrbibus Heluetiæ. domestici annales tradunt, sedecim annis post Treuirorū urbem conditam esse. Treuiros autem Trebetam Nini filium, Abrahami patriarchæ temporib. condidisse, Marianus Scotus in Chronis, memoriæ prodidit. Tigurinorū quoq; mentio celebris est in Romanis historijs; quia & cū Cimbris aduersus Romanos militarunt, & Cassium consulem profligarunt, & postea à Julio Cæsare bello Gallico victi, & cæsi sunt: Et ab eo tempore, vsq; ad Alemannorū irruptionem, sub Romano Imperio Tigurum fuit, post, in Francorum Regum potestatem, & inde ad Imperium illud Germanorū Romanum peruenit. Sunt à Regibus Frâncicis duo Collegia, virorum vnū, alterum fœminarum, Tiguri instituta. penes hæc olim maxima ex parte imperium vrbis fuit. Cæterum in arce, quæ ad Limagum edito loco sita olim fuit, Francicorum Regum præfecti habitârunt, qui collegiorum & vrbis aduocati erant. Post sub Germanis Imperatoribus itidem Præfecti dati sunt vrbis & collegijs, non tamen, qui in arce habitarent. nam hoc munus plerunq; Principes viri habebant. Cæterum, illis temporibus vrbis nihilominus suum consilium habebat virorum triginta sex, è quibus duodecim quadrimestri tempore imperabant. Fuit hæc forma Reip. circa annum M.C. & durauit vsque ad annum, M.CCC.XXXVI. quo tempore mutata est. Cæterum, illis temporibus paulatim vrbis libertas creuit, atq; collegiorum iugum excutere cœpit. in his enim Pontificum & Imperatorum dissensionibus, Tigurini Imperatorum partes sequuti sunt, & Friderico Aenobarbo, Friderico II. Lodouico Bauaro adhæserunt; itaque ab his, priuilegijs & immunitatibus aucti sunt, præsertim à Friderico II. etenim hic, mortuo Berchtoldo vltimo Zeringensi duce, collegiorum & vrbis Tigurinæ aduocato, ciues in Imperij tutelam recepit, circa annum M.CC.XVIII. Ac postea multa priuilegia Collegiorū, & prætereà ius eligendi Senatū, quod antea penes collegia fuerat, in ciues transtulit, ac statuit, ne vnquam liceat urbem ab imperio abalienare. Friderici etiam ætate, ciues urbem fossa, valloq; munierunt, communi ciuium opera. Cum autem à Sacerdotibus, qui ciues essent, exigenter, vt ipsi quoq; expensas in hoc opus, rata sui parte, conferrent, & prætereà eos suspectæ pudicitiae mulieres, è domibus suis exigere iuberent, ea re illi adeò offensi sunt, vt à ciuib. secessionem fecerint. Sed hæc lis ab Episcopo Constantiensi sopita est. Ac aliquot annis post hanc controuersiam ciues Tigurini, quòd Friderico Imperatori constanter adhærerent, à Pontifice Romano excommunicati sunt. His temporibus, permissione Friderici, vetus arx (quo loco nunc amœnissimus campus tilijs alijsque arboribus consitus cernitur) diruta est ciuium opera, ne fortè aliqui, occupata illa, ciuium libertati insidiarentur. Multi item vicinorum nobilium urbem, vtputa sacris abstentam, & omniū iniuriæ expositam, infestabant. itaq; cum antea frequens mercimonium serici panni in vrbe fuisset, multi etiam, qui sericum texerent: hoc tempore, quòd cuncta infesta essent, omne illud mercimoniū Nouocomum, ad Larium lacum, translatum est. Illis temporibus, Anno M. CCC. LI. primū fœdus Tigurini fecerunt cum Vrijs, & Sutijs. Qui quidem, etsi quinto demū loco in fœdus sint recepti, nihilo tamen minus, propter vrbis celebritatem atq; potentiam, princeps locus, omnium consensu, illis datus est, quem hodie quoque, aucto fœdere, retinent in comitijs, legationibus, alijsq; publicis actionibus. Cæterum, aliquot annis post obitum Friderici, Conradinus huius nepos, Tigurinos, Ducum Sueuiæ imperio subijcere tentauit, & putatur, titulo aduocatiæ, quam olim Alemanniæ Duces diu in sua potestate habuere. cum verò illi libertatem suam constanter defenderent, eius opera factum est, vt vrbs à Conrado Imperatore proscriberetur: ab hac proscriptione exemit eam Richardus Anglus Romanorum Rex, qui imperialibus literis, priuilegia ipsorum confirmauit. Anno 1273. Rodolphus Habespurgius, à Septemuiris, penes quos imperatoris deligendi potestas est, Romanorum Rex, concordibus suffragijs creatus est: hic imperio potitus, Tigurinorum fideli & forti opera in multis bellis vsus est, & bello Boiémico ducentos ciues Tigurinos inter anteliganos primæ aciei collocauit, ac hortatus est cæteros, vt horum virtutem, ante sibi optimè perspectam & cognitam, imitentur; horum maxima pars, è prælio cæsa est, reliquorum insignia honoris ergò, in Franciscanorum templo depicta fuere. Donauit Rodolphus Rex pro veteribus & recentibus officijs Tigurinos multis priuilegijs, & honoris ergò, signum eorum diademate purpureo ornauit, &c. Plura de Tigurina vrbe atque Repub. præter Munsterū, Ioannes Stumtius; Iosias Simlerus Tigurinus, & quos celeberrimus nostri æui cosmographus, Abrahamus Ortelius, in suo orbis Theatro tam veteres, quàm Neotericos recenset auctores, suppeditabunt. Coronidis autem loco, ex topographica Mureri descriptione hoc carmen subijcere placuit.

Sex minus elapsi fuerant, quàm mille bis anni,

Vt nouus ex nihilo conditus orbis erat:

Restabant totidem venturi ad tempora Christi,

Si tamen ex illis bis duo lustra feras:

Inclytus heic primum statuit cū Thuricus urbem,

Quæ fundatoris nomine dicta fuit.

Post, vbi diuitijs, terris & viribus aucta est,

Huic Tiguri nomen gens Tigurina dedit.

Sapius hac varijs grauib. erepta periclis,

Nunc stat adhuc summi salua fauore Dei.

Perge tuos seruare Deus, dum protegis urbem,

Fac toto nomen regnet in orbe tuum.

TIGVRVM

TIGVRVM, siue Tu
 regum, Caesari, vt
 plerique exis timant,
 Tigurinus Pagus, vul:
 go Zürich; vrbs in
 Heluetijs vt vetustissi
 ma, ita maxima, &
 omnium celeberrima.



Sufenberg

Wolfthurn

Nider dorff

Ob Dorff

Wellerberg

Am See



1787
The first of the
year was a
very dry one
and the crops
were much
damaged
by the
drought.



LANDSHVTVM



LANDSHVTVM, vulgo *Landshutt*: vrbs celeberrime, & primarię dignitatis, in Bauaria inferiore, quę & fertilitate, & incolarum frequentia, superiore Bauariã præstans, nauigeris, & piscosis distinguitur fluminibus, Danubio, totius Europę maximo, Gręcis pariter, atq; Latinis scriptoribus celebrato: Lauacio & Isaro, amni, quem admodũ amœno, ita pisculento, & rapido. Is magnificã Landshutanam hanc vrbe præterlabitur, magno incolarum cõmodo, & ornamento. Quam Irenicus Franciscus, ex quinta Ptolemęi Europę tabula, Inutrũ statuere videtur, cui tamen situs non optimẽ conuenit. Atq; melius proinde Ptolemęi *iv. 8. 10v* Auentinus, verẽ linceus Germaniã, potissimũ verò Boioarię suę perlustrator, *Mittenwald* Bauarię pagum cis alpes constituit. Vrbs autẽ Landshutũ, condita anno partę salutis M. CC. VIII. à Ludouico Duce Bauarię. Alij arcẽ illic à Ludouico Ottonis filio, salutis anno M. C. LXXVIII. auspiciatã referunt, & anno M. CC. IV. vrbem hanc muro inuestitã fuisse. In ea vt plurimum Illustrissimus Bauarię Dux Gulielmus, peraugustę Bauarię stirpis senior filius, residet, loco nimirum, quem alma rerũ parens natura, multis beavit munerib. Ager nanq; non solum magna varietate Pomonę, & præstantissimo Liberi patris liquore, deos pariter ac homines recreante; & beata Cereris fruge, sed & pinguisimo, ac vberrimo Palis munere luxuriat. Is siquidẽ natiuus est genius agri, vt lacticiniorum vix alia regiõ ditior inueniatur; tanta aruorũ vbertas, tanta amœnitate latissima vbiq; prata, viriditate, & copioso vndiq; gramine contacta conspiciuntur; colles deniq; ita feraces, pleniq; vitiũ, areas in planas desinunt, quę pascua & pabulũ armentis præbent, vt hic meritò ager, cum amœnissimis, vberrimisq; totius Europę locis, comparari possit. Vrbs ipsa ædificijs admodũ venustis & elegantibus nitet; Inter quę principem meritò locũ obtinet summa vrbis Ecclesia, quę artificiosa structura, & viuo ex lapide visenda, imò stupendę altitudinis turri, conspicua est. Magnificũ etiam Illustrissimi Alberti Ducis, in inferiore vrbs parte, videtur Pallatiũ, Nouum, vulgo, ædificium nuncupatũ. Structura est elegantissima, affabre, & Italica architecturę Symmetria scite, subtiliterq; ad decus, & ornamentum vniuersę vrbis excitata. Cui plurimum etiam ornamentis paucis ab hinc annis contulit hortus, extra mœnia vrbis, summa amœnitate præstans, ab Illustrissimo Gulielmo Duce, in dulcissimę suę coniugis Lotharingię Ducis filię gratiã, paucis ab hinc annis, Gallicorum hortulanorũ inuentione ac opera confitus, qui exoticis generosissimarum arborũ fructibus, herbis etiam, peregrinis plantis, ac floribus ex Italia, Hispania, & Gallia allatis, areolis, labyrinthis, operibus topiarijs, florum ac fructuum varietate nitentibus, mira industria distinctus conspicitur. Sepimenta sunt varijs ex arbusculis contexta, & reticulata, multis florũ generibus, auleorum instar, variẽ vestita, rubentibus insuper pomis, cotoneis, mespilis, peregrinisq; fructibus grauia. Quinetiã artificiosissimis statuarũ, & picturarum figuris, magna cũ voluptate passim exornatus hic hortus cernitur. Nec odoris etiam suauissima fragrantia deest, quam passim abundantia romanę camillę, basilicę, lauri, mirti, rosmarini, florũ atq; rosarum, & eiuscemodi herbarũ ex se fundit natura. Incredibilis deniq; istius horti amœnitas, decor, elegantia, adde etiam vtilitas, omnem orationis fidem excedere videtur, vt mirandum non sit, quanam de caussa, cũ alioqui multę sint in Bauaria lautissimę vrbes, hanc potissimum sibi sedem ac domicilium Illustrissimus Dux, cum lectissima sua coniuge delegerit. Sed & delectationẽ longẽ maximam exhibet, id, quod in ipsa arce, editiore loco constituta, idem ille iam cõmemoratus Illustrissimus Gulielmus Bauarię Dux, vnicum nostri sæculi decus, virtutisq; exemplar, summus rerum delectabilium & extranearũ admirator, bonorumq; ingeniorũ fautor, & alumnus, iam nuper instituit, dum præcipuas eius arcis aulas & conclauia, venustissimis picturis, antiquis ac recentioribus statuis mirificẽ exornat. Dumq; locum, alioqui non magno vsui destinatum, recreationi, & oblectamento delegit, adiutus tã amœnissima situs natura, quã arte & industria ingeniosissimi viri, multigena arte eximij, Friderici Sustris, origine Bataui, natione Itali, qui eum ipsum locum quotidianis laboribus, & miris inuentionibus suis, exquisito ornatu illustrat, dulcissimo fontium vndiq; discurrentium murmure; diuersarum auium suauiter cantillantium volatu, & garritu, nympharum statuis, picturis, herboretis, & eiuscemodi denique delitijs plurimis ad oblectationem & voluptates peropportunis: vt magnificis proinde laudis & honorum elogijs dignus sit, & Illustrissimus Princeps, & ingeniosissimus, taliq; Principe ac Meccenate dignus inuentor & artifex. Huius demum vrbs descriptionem nobis communicauit Georgius Hoefnagell, Mercator Antvverpianus, qui ad pacis, non ad belli artes natus, rumores belgicos fugiens, perlustrata Italia, pacifico Principi Alberto Bauarię Duci, sese in clientelam dedit, Arti miniatorię, qua illum mirificẽ sola dotauit natura, pacificẽ dans operam.



ORIENS

Saelden tal

Yser flu.

ALBERTO. D. G. COM. PAL.
 RHENI VTRIVSQ. BAVARIA DVCI.
 VNICO NOSTRI SECVLI MVSARVM ALVMNO
 A DELITIIS.
 DEPING. GEORGIVS HOEFNAGLE AN TVERPIAN.
 VIRTUTE DVCE MAGISTRA NATVRA.
 MONACI. A. CD. D. LXXVIII.



PATAVIA.



BOIAM siue Boiariam, sicuti Annales tradunt, Narisci, Vindelici, & Norici inhabitauerunt populi, qui nunc Bauariae appellatione innotescunt. In superiorem & inferiorem diuiditur. Superior Alpibus, Austroque subdita, ob paludes, lacus, sylvasque umbrosas, grata venatoribus exercitia, pecoribus laeta pabula praebet. Inferior autem, quia fertilior, & amoenissimis distincta fluminibus, nempe, Danubio, Issara, Lauacco, Illiceto, &c. maiore etiam incolarum, & nitidissimi marum vrbium frequentia, colitur, & exornatur. Inter praecipuas autem Patauia siue Patauium, vulgo Passau/ Ptolemeo & antiquitatum inuestigatoribus, Boiodurum, etiam Boedurum. Vrbs ampla, elegans atque clarissima, in infima, inferioris Bauariae parte ad Austriae initium, in vtriusque nimirum Prouinciae confinio, inter Danubij & Oeni confluentes, peninsulae insula, loco commodissimo pariter, amoenissimoque sita. Episcopali, cui pariter, cathedra, & amplissima, quaestuosissimaque omnis generis commerciorum negotiatione admodum celebris. Tam praestanti siquidem ad negotiationem situ ob fluuiorum, locique oportunitatem excellit, ut, quemadmodum ob rapidissimorum fluminum concursum, Lugdanum in Gallijs, Gandauum in Flandria, quaestuosae negotiatioe floret: Ita hoc Germaniae tractu, eodem nomine praeter ceteris vrbibus commendetur. Patauia hinc etenim omnis generis merces, vel ex Athesina Prouincia, & Oenana valle, per Oenu flumen, vel ex vicina Boemia, cum per Illicium, nauigio, tum per montana, iumentorum tergis, aut ex omni reliqua Germania, per Danubium in Austria, & vicinas regiones copiosissime deportari solent. Inter Danubij & Oeni confluentes, non secus ac peninsula, loco commodissimo pariter amoenissimoque sita. Porrecta est autem Patauia, ob montium eorundemque nemorosissimorum vicinitatem in longum tota, ab Occidente nimirum in Orientem ad passus bis mille ac centum, fluminibus, montibus, ac syluis, tanquam natiuo muro, ab omni parte conclusa. Danubium a Septentrione fere habet, vnde infra arcus Episcopales, tertius fluuius in Boiémico nemore natus, Illicius dictus, arcem Hals, per ueteri comitatu, & Lichtenburgenium Landgrauorum titulo celebrem, praeterfluens, ac paulo inferius peculiarem ciuitatulam, vulgo *Zilsch Stadt*/constituens, affluit, ibidemque illic descendenti per Bauariam Danubio associatur. Oenum fluuium amoenissimumque, qui Noricos a Rhetis, & Austrios a Bauaris separat, quique ab vrbium, quas praeterit plurimas, incolis potari etiam solet, a meridie habet. Hi paulo infra ciuitatem, loco, vulgariter *Ott*/quasi finis vel terminus, dicto, congregiuntur, ambo equidem vndosi, ambo nauigabiles. Danubius lentus ac segnis. Oenus, rapidus, celer, & propter Formbacenses, a vicino cenobio sic nuncupatas, cataraetas, impetuosior. Qui maximo hinc impetu, in Danubianas irruit aquas, ut longissimum ab his spatio absorptus, alueum quasi peculiarem obseruet, quemadmodum ex diuerso vndarum colore, longissimo tractu conspici potest. Porro vrbs Patauiensis tota, antiquitus eiectione Norico Boijs, a quibus condita creditur, Romanorum, vniuersum Noricum olim tenentium, Colonia fuit: Et Battaurorum populorum, qui Battone Duce, cum Pannonibus bella gessisse leguntur, est dicta Colonia. Postea vero a Bauarorum Duce, Theodone primo, magnanimiter recuperata, ac tandem Imperatorum munificentia, eius loci Episcopis donata. Patauiensis vero appellatione, etiam alij a Batauis, quos Hollandos nunc dicimus: Alij, a Batauis, castris, Et item alij, Bataurorum incomparabili duce, Sorano, qui in Pannonijs sub Imperatore Aelio Adriano Augusto, bella gessit, alijque aliunde deriuens quod ipsis equidem in hac rerum obscuritate, tuendum relinquo: Tamen ex Germanicis duabus vocibus *Pass* & *Aw*/ quarum prior Traiectum, altera, Insulam significat, natam, & a Latine loquentibus pro *Passau* & *Passauia*, Patauiam dictam, mihi equidem dubium non est. Id namque vetus loci situs pulchre attestari videtur. Certum namque est, Danubium, qui nunc vno tantam alueo Patauiam praeterfluit, duos olim eodem loco constituisse alueos, vnum angustiore, rectaque secundum montium vicinorum pedes defluentem, veluti nunc totus defluit versus Illicense oppidum; Alterum vero ampliorem, in dextrum latus, a minore auersum, (cui testimonium perhibet area antemurana, Ad arenas, vulgo, *Am Sandt*/ dicta) natura per illam terram ductum fuisse, quam hodie moenibus ciuitatis inclusam, sub S. Pauli Parrochiali templo, vicinoque Tilileto, & ea ciuitatis pars, (quae noui fori appellatione nota est) & inferior Marca, quae S. Nicolai oratorio hodie subest, late occupat. Et congressum Oeni cum Danubio, eo ipso extitisse loco, qui Oenanae ciuitatis supremae parti, seu initio, ac Boiodurense riuo, prope quem traiectionis erat, recte est oppositus, vbi sacellum D. Andreae antiquitus (ex quo S. Nicolai monasterium postea natum) situm fuit, hodie adhuc saxi infixi ferrei annuli, & intusa foramina, quibus naues alligabantur, ac funes nautici inferti erant, monstrare possunt. Sic Danubius duobus istis alueis, insignem tunc temporis constitutebat, ac egregie spaciosam insulam. In quam ab Illicense oppido, ponticulus erat sublicius. Hac insula, cuius is quoque meminit, qui sancti Seuerini vitam conscripsit, iumentis oppidanorum sufficientissima praebens pasqua, patria lingua ab ipsis *Aw* appellabatur, prout vtitatum est Germanis Insulas, Augias, quemadmodum peninsulas Vuerdas, cognominare: fuisseque ponticulum supra minorem Danubij alueum, testatur domus honesti ciuis, honoratque senatoris Thomae Aigner, quae prima eius loci, & piscatoria fuit domuncula, ut antiquitus, ita adhuc hodie *Am Steeg*/ hoc est, Ad ponticulum dicta. Fuisse vero & insulam illic, quae Illicensibus, ac Boiodurenibus oppidanis pasqua praebuerit, testabitur praeter D. Seuerini encomiasten, alia insuper domus, Monasterio S. Crucis Niderburgenfi, (quod in infima ciuitatis parte est) vicina, Vaccarum lapidis titulo, inscripta, & nostrata lingua, *Am Ahueitain*/ nominata. Iam vero hoc etiam nemo inficiari potest, ex Boioduro, (quae nunc Oenana ciuitas est) prope D. Seuerini sacellum, per confluentes traiectionem fuisse, ad eum fere locum, quem inferiorem Marchiam hodie vocat, vicum nimirum sub antemurano S. Nicolai oratorio conspicuum. Eum traiectionem Accolae Passagiū vulgari lingua *Den Pass*/ Et alij, *Den Pass an oder gegen der Aw*/ nominare soliti fuerunt. Cumque postea in insula ciuitas condita inchoaretur, nomen ei a traiectione, & ab ea ipsa insulari planicie (ut *Passau* & Latine *Passauia*, ab alijs vero euphoniae gratia, Patauia tandem diceretur) contigisse omnino verisimile est. In hac autem Patauiensi vrbe, Archiantistitis quondam sedes fuit, quae inde Caroli Magni, & Arnonis Episcopi Salisburgensis temporibus, praxi quadam, quae multarum deinde contentionum fomenta suppeditauit, Salisburgensi Episcopi patui assignatur. Quanquam nihilo minus, Carolus ille Magnus, licet eius translationis ut plurimum auctor fuerit, liberalitate tamen regia vtramque & Laureacensem, & Passauensem complexus est Ecclesiam. Atque deinde Arnulphus Imperator ex Romanorum Rege creatus, & Carolo Crasso patruo suo in Imperio succedens, tertio Imperij sui, Christi vero DCCCLXXXIII. vel, ut alij, DCCCXCVIII. VVinchirdo Archiepiscopo Patauiensi, totam hanc vrbem Patauiensem, vna cum integro telonio, cum vtriusque sexus mancipijs, molendinis, piscationibus, vineis, omnibusque, & quibuscumque alijs rebus ad eam ciuitatem pertinentibus, & quas ipse vel in vrbe, vel extra eam, tanquam proprium possedit, dono dedit. Ad haec Otto Imperator donat Christiano Episcopo Patauiensi, omnibusque suis successoribus, eiusdem ciuitatis mercatum, bannum, monetam, telonium, & totius publicae rei districtum. Ab Arnolpho itaque Imperatore, ad haec vsque tempora, Vrbs Patauiensis Episcopis semper sedes fuit, eiusque loci Episcopo immediate semper subiecta, illique omni mero & mixto imperio subdita est. Quemadmodum & hodie Reuerendissimo, & Illustrissimo Principi ac Do. Domino Urbano, e perueteri ac nobili equestri familia Bauarica Trenbachia, Rodolphi optimi, & nobilissimi viri filio, singulari, debitaque obseruantia, vti Principi, atque adeo Parenti suauissimo parat. Quae hoc praesertim nomine felix & beata politia censenda est. Quod si enim Platoni, eae felices existimantur Respub. quarum moderatores aut Philosophi sunt, aut vitae duci, animique culturae Philosophiae operam nauant: Iustioribus de causis eae hominum societates, atque Respublicae beatissimae nuncupandae veniunt, quibus diuina fauente clementia, viri philosophia non fucata & superstitiosa, sed sancta & religiosa Theosophia illustres contigerunt rectores, his praesertim turbulentissimis temporibus, in quae funestiarum seditionum & haeresum maturitas erupit. Felix itaque Bauarorum Patauia, cuius clauum eiusmodi gubernator nunc tenet, moderatur, & regit, qui his facultatibus atque scientijs praestat, quarum praesidio plurimi ad optatum salutis portum peruenerunt. Qui rerum Ecclesiasticarum, studiorumque cura minimè intermissa, aedificia, vetustate collapsa tam eximie reparat, atque restaurat, ut multo praestantiora illa, quam prius vnquam fuerunt, resurgant, veteremque magnificentiam atque splendorem multis modis nunc superent. Nam primarium vrbis templum, aedificijs longe magnificis splendidissimisque exornando, simul & religionem fouit, & vrbis Patauiensis decus addidit. Antistitum quoque Palatium angustioribus ante limitibus comprehensum, aedificiorum nitore, imprimis vero turri visenda, ingenti pecuniarum sumptu adauxit, quae sua se pulchritudine effert, & in tantam sublimitatem exurgit, ut ex ea veluti ex specula, vniuersa Patauia conspiciatur; quam bibliotheca insuper omni librorum genere instructissima, exornauit. Quis vero Cathedralis Basilicae ornamenta hic referat, cuius fastigium ad multos cubitos in caelum euexit, vnde maxima luminis abundantia in fanum ipsum diffunditur: pavementum autem elegantissimo opere, nobili ex marmore construit. D. Stephani insuper Protomartyris magnificam & admirandam noua structura effecit basilicam, ut spectaculo videntibus existat. Episcopatum denique, grandi pecunia & alieno are varijs in loci sprellum, munificentia, & liberalitate sua redemit, possessionibus insuper & praedijs quibusdam adauxit, &c. Deus opt. Max. tantum virum, ad Reipub. Christianae salutem & Patauiensis Ecclesiae splendorem, quam diutissime incolam mem tue atur.

SEPTEN TRIO
PASSAVIA



OCCIDENS

ORIENS

Colonia Vinea Cum gratia et Privilegio


K. Leopoldus Abent patavien: F.



Passavia, Passavia, siue Patavium, quondam Boedurum, vulgo Passavia. Vrbs inferioris Bauariae florentiss. Danubij, Oeni, Illiceti fluminum propinquitate, nobilis. Cuius accuratissima delineatione. Rex rediss. Illustrissimusq. Princeps ac Dominus, D. Urbanus, Praenobili & Eques tri Trenbachia familia clarus Pataviensium. Antistes, ornamenti ac dno operi nos fro Geographico plurimum splendoris et ornamenti clementissime contulit. Anno C. MD. LXXVI.

- | | | | |
|--------------------------|-------------------------|---------------------|--------------------------|
| 1. Pirch tor | 11. Zum heilig Creutz | 21. S. Gertraut | A. Die Statt Passaw. |
| 2. Zum heiligen Geist | 12. Niderrburg | 22. Ihntor | B. Ihnstatt |
| 3. Die Wehr alt Statmaur | 13. Im Orth der Stat | 23. Das vnder thor | C. Ihnstatt [schloß] |
| 4. S. Iohans Spital | 14. Ihn Thor | 24. Anger tor | D. Oberhauß des Bisthofs |
| 5. S. Pauls pfarr | 15. Ihnpruckh Thor | 25. S. Elphet siche | E. Das Niderhauß |
| 6. Capitel hoff | 16. Das thor zu Stral | 26. S. Iacob | F. Anger |
| 7. S. Stephan Thomstiff | 17. Das miel tor im ort | 27. Ecken toll | G. S. Nicola Aug. Cöfft. |
| 8. Bisschofs hoff | 18. Thor am Vrsbmarkt | 28. Bey unserm hern | H. Stuckelpers Bisthofs |
| 9. Rhatbauß | 19. Donau thor | 29. S. Barthlma | I. S. Seuerin |
| 10. S. Aliehell. | 20. Das ober Ihnstat | 30. Wilsch hauß | K. S. Egidij pfarr. |






SALTZBURGVM



ALTZBURGVM, peraugusta Bauariæ vrbs, eruditæ scriptorum turbæ Iuuauia; Auentino autem veterum diplomata eò ostentanti, Ptolemæi Pœdicum; cum eam adpellationem vicinum vrbi pagum, etiamnum retinere cõfirmat. Franciscus de mum Irenicus, Gama- nodurum, quemadmodum & Badacum Ptolemæo existimat. Vrbs est decenti murorú ambitu, turribus & propugna culis cincta, & tam publicis, quàm priuatorum ædificijs cul- tissima: Regia quodam sedes & domicilium fuit, quando & superbissima, ex marmore Fanorum structura, præ cæteris caput extulit vrbibus. Præstitit hoc maxima fluminis, si- tusq; opportunitas, de qua hunc in modum Munsterus Germanos Iulius Cæsar aggressurus, in faucibus mon- tium arcem munitissimam extrui curauit, vt milites ad eam refugium, & satellites iuuamen haberent, Et inde Castrum Iuuauenfe, Germanicè *Helffenberg* appellatum est. Fluius quoque, cui adiacet, Iuuarius dictus, arci nomen dedisse, à quibusdam putatur, à qua & ciuitas inde condita, Iuuauia dicta est. Cum autem ciuitas olim florisset, temporibus Attilæ Regis, Hunnorum sustinuit incurfiones, vastationes, & incendia. Postea circa an- num Salutis D XL. cum D. Rupertus, ex Regia stirpe Francorum ortus, V Vormatiensem rexisset Episcopa- tum, & post obitum Regis Childeberti, à sede V Vormaciensi pulsus esset, Theodo, Dux Baiouariorum, Ratispo- næ eum cum gaudio suscepit, baptizatusque est ab eo, vna cum Proceribus, & populo. Et circumiens Ruper- tus episcopus, per Noricum, vsq; Pannoniam, prædicansq; Christum, plurimos ad fidem eius conuertit. Ve- niens autem ad Iuuarium fluuium, vbi olim Iuuauia ciuitas fuerat, sed tunc collapsa, virgultis operta, & deso- lata, contemplansq; locum cathedrali sede idoneum, proprietate eius à Duce obtenta, extirpatis arboribus & vepribus, repertisq; ædificijs, Basilicam in honore D. Petri construxit. Quin & cœnobium ordinis S. Benedi- cti, cum munificentia Ducis instituit, & Episcopatu annis XLIII. præfuit. Nunc Archiepiscopatu inclare- scit Saltzburgum, qui primæua quidem institutione Laureaci, tum Patauij, ac rerum demùm vicissitudine, huc translatus fuit: Cuius quidem immutationis paulò altiùs initium referre libet. Certissimis historiarú mo- numentis constat, Laureacum, præclaram & populosam Norici vrbem, eo ipso partim loco, in superiore Archiducatu Austriæ, supra Danubij & Anisi confluentiam sitam fuisse, vbi hoc tempore Anasianum oppi- dum, quod vulgo Ens nuncupari solet, conditum visitur. Ea vrbs Laureacensis, ante incarnationem Saluato- ris nostri Iesu Christi, Ethnicorum Archiflaminum Metropolis fuit. Anno verò, post virgineum partum, re- paratæ nostræ salutis, circa quadragesimum septimum, à D. Petri discipulis, ac legatis visitata, abrogatis Eth- nicis omnibus Idolomanijs, ad synceram Christianæ fidei professionem conuersa, Christianorum Proto- flaminum Metropolis designata est. In huius ecclesiæ ministros, cum antea ducentis ferè annis synceram Christianæ veritatis recens per Christum & Apostolos patefactam doctrinam latissimè propagassent, Impe- ratores Philippi pater & filius, multa non obscura liberalitatis indicia contulerunt. Huic etiam Laureacensi ecclesiæ, Anno Domini CC LXXXVIII. post alios S. Quirinus præfuit. Philippi Imperatoris regenerati ipsius, & ad Christianam fidem conuersi Filius, ei, posteaquam pater crudeliter in fata concesserat, omne suū patrimonium (cuius termini per Pannonios & Masios patebant) munificentissimè assignauit. Labentibus de- inceps annis, Noricis & Boijs, ob diuersas Imperatorum in Christianam plebem persecutiones, solum vetere coactis, tandem verò recollectis viribus sua recuperare, seque in pristinam libertatem contra Romanos, au- ctore & Duce Theodoro Bauaro, homine strenuo & formidabili, asserere cupientibus, omnia bello ferroque æstuabant, vt nullus prædationum & cædium modus fuerit. Hoc bellum tempore Theodori Archiepiscopi Laureacensis, qui anno 524. vita excessit, exarsit. Diruto & expugnato Laureaco per Theodorum, magna que vndique strage facta, in exulcerato isto rerum statu, archiepiscopalis ea sædes Passauium translata est. Primus itaq; Erehenfridus, anno 570. in Choriepiscopum & Decanum Laureacensem suffectus est. Postea etiam Pa- tauiensis ciuitatis & ecclesiæ Archiepiscopus, tempore Heraclij anno Domini D XC VIII. constituitur. In- crescentibus alijs temporibus (vt rem in pauca contraham: Non enim omnium Archiepiscoporum res gestas, aut nomina enarrare, nostri muneris est) defuncto quodam V Valderico Archimyste Passauienti, & Laurea- censi, Arno, Salisburgensis Episcopus, de Pallio consequendo sollicitè cogitans (fretus ope & auxilio Caroli Magni, qui eius in legationibus opera plurimum vsus fuerat) à summo Pontifice Leone, multis nominibus contendit, vt Archiflaminis dignitatem in eum suosque successores conferret, cuius precibus Pontifex acqui- euit, eumque, & suos successores hoc pallio Christiani philosophi decorauit. Ita Archiepiscopalis dignitas An- no D CC XCVIII. de Patauia & Laureaco (vbi à primordio Christianismi sedem fixam hætenus tenuerat) Salisburgum translata est. Quæ res maximum discordiarum incendium excitauit, fuitq; fomes multarum litium, quæ quidem postea non sine maximo totius Ba- uariæ detrimento extincta & consopita est, Pontifice & Imperatore pacem concilian- tibus,

Saltzburg



- | | | | |
|--------------------------|------------------------|-----------------------|-------------------|
| 1. Das Fürstlich Schloß. | 11. Ainsidel. | 21. Der Aln fluß. | 31. Klausen Thor. |
| 2. Das Kloster Nunberg. | 12. S. Peters Kloster. | 22. Der Trudgart. | 32. Aln. |
| 3. Das Nuntal thor. | 13. Münch Berg. | 23. Kirchgaß. | 33. Schaffin. |
| 4. Kumpfmil thor. | 14. Frauen hoff. | 24. Rathhaus. | 34. Pfar. |
| 5. Khienfer. | 15. Der Thum. | 25. Das Klamber Thor. | 35. Nürnberg. |
| 6. S. Nicola. | 16. S. Michel. | 26. Das Schlos. | 36. Sieb hauß. |
| 7. Pfffer gaß. | 17. Aßhof. | 27. S. Johan. | 37. 74 hoff. |
| 8. In Key. | 18. Dwaag. | 28. S. Andre. | |
| 9. Dschuel. | 19. Juden gaß. | 29. Spital. | |
| 10. S. Margreth. | 20. Die Märckt. | 30. Der Burger Thurn. | |



RECENS, ET ACCVRATIS/
SIMA VRBIS SALISBVR/
GENSIS DELINEATIO.


LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO
GEORGE EASTMAN LIBRARY

TRIDENTVM.

Vrbis Tridentinae per Paulum Gerardinum elegans & accurata descriptio.



VRBEM Tridentum, ad Athesim, loco ameno, & salubre positam, quam in decima Regione Italiae inter populos Mediterraneos, Plinius & Strabo collocant, Gallos concidisse scribit Trogius, alij Ethnicos, qui Duce Rhetio in Alpibus sedes figentes, Rhetiae nomen dederunt, sed auctam post fuisse à Brenno, Duce Gallorum. Ut ut se res habet, icultas est perantiqua, quae à Primordio varios sortita gubernandi modos, tandem Imperij Romanorum, cui diu subiecta fuit, inelinatione, celsit Ostrogottorum potentia, quorum Rex Theodoricus, ut regnum suum ab eo latere tutius redderet, cinxit eam muro è lapide quadrato, ut etiamnum licet videre, non ineleganter, complexus circiter mille passus, forma propemodum arcuata, munitisq; Castellum Verrucæ, ex altera fluminis ripa, Tridento imminens. Post electis ex Italia Ostrogottis, subingarunt hanc ciuitatem Longobardi, titulòque Ducatus Imperio suo subditam, tenuerunt. Sed & his cum eorum Rege Desiderio à Carolo Magno profligatis, postliminio ad ius redijt Imperatorum, ex quo initium opibus amplificandæ Ecclesiæ Tridentinae. Nam Carolus Ripam oppidum ad Benacum, Vallis quasdam, & Iurisdictiones pro sua in Deum pietate, atque Ecclesias munificencia, Episcopo largitus, & præclare de hac ipsa Ecclesia est meritus, & successoribus suis Imperatoribus, Regibusq; Romanorum præbuit documentum liberalitatis. Sed supra cæteros emineuit liberalitas Conradi Saxonis, eius nominis II. Imperatoris, & Franciæ orientalis Ducis, qui Comitatum Tridentinum, seu Ducatum, seu Marchionatum, ite vallem venustam, ac Bolzanium Ecclesiæ huic donauit, ius profanum, quod temporale vocant, sacro, & spirituali coniungens; quam donationem deinde ratam habuerunt Sueuici sanguinis Imperatores, Fridericus primus, & secundus. Habiti sunt de hinc Episcopi Tridentini Principes Imperij, ijsq; ab Imp. diplomata (Regalia appellat) ut cæteris Principibus data. Et ut huius tam insignis Ecclesiæ status perpetuo tutior, securiorq; persisteret, adscitus est ei defensor, & protector vicinus Comes Tyrolis, cuius potentia, atque auctoritas ipsi Episcopo & Ecclesiæ ad omnes casus esset præsidio. hoc onus ut alacrius susciperet Comes, ornatus fuit ab Episcopo beneficijs minimè vulgaribus, Castris videlicet, atque Iurisdictionibus: ex quo inter ipsos Comites & Episcopos ad totius Prouinciæ, & dominiorum securitatem, nata est mutuo succurrendi, atque auxilium ferendi necessitudo. Exercet itaque Episcopus præter spirituale iurisdictionem etiam temporalem, quam acceptam fert Imperatoribus, quos solos, ac supremos ea in re dominos agnoscit, & honorat. In spiritualibus porrò est illi Metropolitanus Patriarcha Aquilegensis. Et quanquam ciuitatem Tridentinam antea spectabilem multa reddebant, ut templum Cathedrale operis exquisiti, sancto Vigilio Episcopo & Martyri consecratum, Collegioq; Canonorum, vel Nobilitate generis, vel doctrina Illustrium, ipsius Episcopi liberam electionem habentium, insigne; & in quo Sancti huius, atque eius matris sanctæ Maxentiae, aliorumq; sanctorum corpora, & reliquiae præcipua in veneratione habentur; ut, item in templo Diui Petri, quod Germanorum est, B. Simonis pueri ante annos centum à perfidis Iudæis martyrio coronati corpus, multis miraculis clarum: ut, Arcis, quam Episcopus inhabitat, magnificentissima, regijsq; palatij in modum structura; ut, ædium priuatorum elegantia & commoditas tanta, quantam in nulla alia Ciuitate mediocri, qualis est hæc, reperiri affirmant illi, qui pleròque orbis regiones, Ciuitatesq; peragrarunt: ut riui, plateas omnes silice concinne stratas perenni decursu irrigantes, atque immunditiam om nem abluentes: huic tamen Ciuitati tantum addidit celebritatis, sacrum, & cœcumenicum superioribus annis in ea habitum, finitumq; Concilium, ut propterea inter præcipuas Europæ Ciuitates merito debeat numerari. Est quidem alpestris huius Regionis situs, sed tamen præter aeris miram salubritatem, ijs abundat ad viuendum commoditatibus, ut paucis, æquali magnitudine Regionibus debeat inuidere. nam frumenti, olei, lactis, carnis tam altis, quam ferinae, piscium quoque & omnis generis fructuum ea hic est præstantia, atque copia, ut VII. S. R. E. Cardinalibus, inter quos quinque erant Sedis Apostolicæ legati, III. Patriarchis, Archiepiscopis XXXIII. Episcopis CCXXXV. Abbatibus VII. ordinum generalibus VII. Theologis, tum secularibus, tum Regularibus CXLVI. Ferdinandi Cæsaris, tam Imperij, quam Regnorum suorum, Hungariæ, & Bohemiæ nomine, Regum Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Portugaliæ, Venetorum, Ducum, Bauariæ, Sabaudia, Florentiæ, aliorumq; Ecclesiasticorum Principum: Item Heluetiorum VII. Cantonum oratoribus, eorumq; familijs, quæ in vniuersum quatuor millium Capitum numerum excedebant, cum omnium admiratione commeatas, aliæque ad sustentationem necessaria suppeterent. Gens ipsa hospitalis est & aperta, iras quacunque de causa conceptas facile remittens, in quo Germanicam ingenuitatem refert: quæ si, quo valet ingenio, id ad publicam rem priuatæque amplificandam conferret studiosius, futurum esset, ut Ciuitas hæc propter ipsius situm, fluminisq; opportunitatem, vicinas opibus vel superaret, vel certè æquaret. Argumento est, quod, qui hinc aggressi peregrinis in Regionibus versantur, alij optimarum disciplinarum egregia cognitione, alij virtute bellica, militariq; officijs etiam primarijs, alij negotiatione, alij alijs bonis rationibus, & rem, & existimationem non parum auxerunt. Ac fuerunt inter eos omni tempore viri, & sunt, qui vel propter facrarum, & Ciuiliū legum, vel artis Medicæ scientiam: hi Imperatorum, Regum, aliorumq; magnorum principum tuendæ sanitati periti custodes accersiti, illi, iuri dicundo, legationibus, alijsve honestissimis muneribus præfecti, laudem magnam retulerint, hodièque similibus ex functionibus referunt. Præter ius commune habent Tridentini leges municipales, quas eisdem episcopus tanquam ipsorum Princeps, confirmat. Vt iur. ciuitas hæc Idiomate Germanico, & Italico, utpote ex his nationibus cõflata, quanquam longe sit maior numerus Italarum. Et quod in Ciuitatibus limitaneis perrarum est, tanta est vtriusque sermonis puritas, ut vel in media Germania, vel Italia vix audias purius loquentes. Portas habet quatuor, sancti Martini, sancti Laurentij, sanctæ Crucis, & Aquilanae. Xenodochia quatuor. Parochias item quatuor, sancti Vigiliij, sancti Petri, sanctæ Mariæ Maioris, & sanctæ Mariæ Magdalene. Monasteria in ipsa Vrbe duo, sancti Augustini, ad sanctum Marcum, virorum, & ad S. Trinitatem, mulierum obseruantium. In suburbio quinque, Cruciferorum, sancti Dominici, ad sanctum Laurentium, sancti Francisci Conuentualium, & alterum obseruantium ad sanctum Bernardinum. Item S. Claræ ad sanctum Michaelem. Numerat Ecclesia Tridentina à Iouino primo Pastore, & Episcopo instituto à S. Hermagora eiusdem Ecclesiæ fundatore, nunc Nonagesimum septimum Ludouicum ex Baronibus Madrutij, in ipso episcopatu oriundum, S. R. E. Cardinalem, apud sedem Apostolicam Nationis Germanicæ Protectorem; virum in quo siue doctrinæ in Theologia, ac Philosophia, omnibusq; liberalibus disciplinis excellentiam, siue rerum maximarum vsum, siue pietatem in omnes, siue denique religionis Catholicæ amplificandæ studium spectes, nihil queat desiderari; licet aliquot ordine sequentes ipsum Iouinum sine mitra Episcopali præsiderint huic Ecclesiæ. Inter Episcopos præcipue celebratur memoria sancti Vigiliij, doctrina, martyrio, & miraculis clari, cui dicatum est templum Cathedrale, & anniuersarium festum VI. kal. Iul. institutum. Et quanquam ecclesiæ huius opes magna ex parte temporum iniuria sint diminutæ, manet tamen adhuc illi dominium Ciuitatis, & eius Prætura subiecti Territorij. Oppidorum Ripæ, Trameni, Pertini, & Leuigi. Vallium item Nauni, seu Annaniæ, Solis, Lagariæ, Iudicariarum, Flemarum, & Randenæ, in quibus vallibus permultæ sunt parochiæ populatæ, & Arces, Nobilium virorum sedes. Ecclesiæ huius beneficiarij seu vassalli etiamnum sunt, Comes Tyrolis, Dux Mantuæ, Comites Archi, Comites Lodroni, Comites de Lichtenstein, Barones de Mandrutio, de VVolkenstein, de VVelsperch, de Firmiano, de Spauro, de Payrsperg, Nobiles domini de Gresta, de Biseno, de Thono, de Artzio, de Clesio, alijsq; cõplures, Castra, iurisdictiones, Decumas, Prædia, Possessionesq; ab Episcopo in feudum recognoscentes. De Tridenti etymo sic scribit Printius in historia sua Tridentina: coniectura est, à tribus torrentibus ex propinquis montium iugis prope Urbem cadentibus, Tridentum, quasi torrentum vocatum fuisse, quorum vnus per portam Aquilæ in moenia delatus, angusto alueo per mediam urbem Athesi cõmiscetur, alius qui Fersina appellatur, muros præterlabitur, tertium paulò longius delabentem, Saletum nominant. Alij existimant à tribus dentibus appellatum, quia inter tria montium cacumina positum sit. Sunt, qui à Tridente illi nomen datum fuisse disputant, quod ea Ciuitas à principio fuerit Neptuno dicata: quod ut facilius persuadeant, verisimili vtuntur argumento. aiunt enim, sicuti Randeneses Saturnum, ita Tridentinos Neptunum coluisse, quem Deum Tridente vsum fuisse fabulata est antiquitas, ad hanc coniecturam validum adferunt testimonium. affirmant enim, eo in latere templi D. Vigiliij, quod forum respicit, extare lapidem, ut licet videre, vetustissimum, & aliqua in parte corrosum, in quo cernitur Tridentis forma, quo facile ducimur credere, Neptunum olim à Tridentinis, ut Deum cultum fuisse, atq; inde urbem nomen traxisse.



VERONA



VERONA, Cenomanorum vrbs in Gallia Cisalpina, siue, vt hodie vocāt, Lombardia, à nobilibus Thuscis initio cōdita, & à Vera, nobili Hetrusca familia, Verona denominata, vt Cato, Semproniusq; scribunt, ac deinde pulsus, ac profligatis suis sedib. Thuscis, à Cenomanis resecta, & aucta, vt Liuius & Trogus testantur. Venetorum ditionis, vrbs, vt Strabo. lib. V. amplissima; vt Martialis scribit, magna, cum inquit, Tantum magna suo debet Verona Catullo, Quantum parua suo Mantua Virgilio. Tacitus, lib. XIII. Coloniam validam appellat. In v. traq; Athesis ripa, magnificè exstructa, & pontes quatuor, ripas ipsas cōiungunt. Qui quidem (vt Virgilius eum vocat) Athesis amœnus, vt Veronam pene mediam iudicet, sic eandem quoq; circumquaque cingit; itaque hodie vrbi custodiæ, ornamento, & vsui est. Qui eum quondā non interfecabat, verum prope mœnia labebatur, Veronam ipsam ad ortum Solis relinquens. Quod apertissimè patet ex fundamento latissimo muri, per medium Athesin deducto, non procul à ponte Castris veteris, quod & hyemali tempore, decrecente aqua, conspicitur. Cuius etiam plurima inuenta fuere vestigia. Præterea anno 1512. amnis ipse adeò excreuit, vt aquarum exuperantium æstuoso impetu, pars murorum fossæ castris veteris fuerit deiecta, prope templum D. Zenonis, & nisi tot murorū obstacula fuissent, alueum repetisset antiquiorem. Scribit etiā Paulus Diaconus, Athesin fluuium tantū excreuisse, vt circa Basilicam D. Zenonis, quæ apud Veronensis vrbs muros sita est, vsque ad supremas fenestras aqua pertingeret, sed, vt B. Gregorius Pontifex perhibet, in eandem Basilicam minimè penetrauerit. Verona etiam, à priscis veræ religionis cultoribus, Parua Hierusalem vocitata fuit; siue verè similitudinem quandam cum ciuitate sancta, situ, & murorum ambitu perspexissent, siue impositis iisdem nominibus, certis quibusdam locis, religionis zelo, erga ciuitatem sanctam pie fuisse affecti viderentur. Hinc vallem illam ad montem, cui castrum D. Petri subiacet, Dominicam appellauere: mōtem verò, cui mox Rochi sacellum nomen dedit, Caluarium dixere, tresque in eo cruces, ex imitatione erigi, ac constitui voluere. Propè vicina est Aedes, Nazareth dicta. Nec longe D. Ioannis paruum Phanum extat, Bethleem vocatum. Inde parum distat sepulchrum. Propter quæ omnia, & qui plebiscita municipalia condidit, Paruam Hierusalem appellauerunt Veronam. Quæ situ est optimo, iuxta colles, qui ad Austrum conuersi sunt, colonis lautis, ac nobilibus ædificijs, magnificis, ac splēdidis, inter quæ peruetusta Cathedralis ædes, eximiaq; D. Anastasij sodalium prædicatorum. Habet multa insigniaq; vetustatis monumenta, inter quæ Amphitheatrum, quod vulgus Arenam vocat, iuxta forum Boarium, plane admirabile & stupēdum opus, inter omnia, quæ in Italia, alijsq; Europæ partibus extare creduntur, integerrimum, minusq; temporum iniuria, aut Barbarorū furore laceratum. Vt autem incredibilis huius amphitheatri capacitas, ab ijs, qui eiuscemodi nunquam conspexerunt opera, penitus cognoscatur, placet ex lib. 2. de amplitudine vrbs Veronæ, ex Torello, pauca quædam excerpere. In gradibus, inquit, ipsis amphitheatri, hominū 23184. sessionem commodam signari potuisse, comperitur, cuiq; hominum, spacio pedis, cum dimidio, attributo, demptis etiam portarum spacijs, vt per eorum commensurationem colligi potest. Capacitas enim supermi gradus, in circuitu perticarum CLXXXIII. reperitur, medij autem vigesimi primi à superiori descendendo, perticarum CXLII. cuiuslibet portarum latitudini assignatis pedibus quinq;, cum sesquipedes, quæ cum numero XLVIII. sint, passus XLVIII. in se continent, quo numero duplicato, sic altitudine ipsorum duorum graduum existente, exeunt Perticæ LXXXVIII. Gradibus itaq; omnibus, à primo, ad vltimum reductis ad computum medij, Perticæ 5796. reperiuntur, sicq; spacio pedis cum dimidio, cuiuslibet homini assignato, 23184. hominibus, commoda, in hoc Amphitheatro sessio datur. Hæc ille. Conspicitur item Veronæ arcus Triumphalis, in cuius inscriptione, ea ipsa, COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLIENIANA, nominatur. Quin & alia quamplurima vetustatis indicia ac visenda monumenta, in v. narijs ciuium cellis, & subterraneis locis quotidie hætenus inuenta sunt, & etiamnum frequenter offenduntur, vt numismata, vitra, vrne, lampades, frustra quamplurima simarum, coronarum, denticulorum, stylobatorum, epistylorum, argutissime elaboratorum, cæterarumq; huiusmodi molium, viuo ex lapide, & ex pario marmore mirificè sculptorum. Et, quod mirabile visu fuit, cum propugnacula in hac vrbe à Venetis ædificarentur, quo tempore Verona, pulsus Germanis, recepta fuit, in fossis, quæ tunc excauabantur, innumerabiles speluncæ, & cauernæ reperiabantur, quasi tophus ille, iuxta quem Fons est, qui à Ferro nomen habet, per has veluti casas habitaretur. Aliud insuper hoc loci, admiratione maxima dignū, videre fuit. Cum eodem namq; in monte foderetur, spectabantur Echini lapidei, Paguri, conchæ, cochleæ, ostrea, Stellæq; pisces, auium rostra, & id genus alia passim multa. De quibus quædam in indice commentabimur. Aëre Verona tenui gaudet, gens perlauta, magnifica, splēdida, iucundo aspectu, ingenio summo, maximeq; ad literas idoneo: rebus omnibus, non solum ad vitam mortalium necessarijs, sed etiam ad delicias, & voluptatem vtilibus abundat. Fundatissimas alit familias permultas. Agro est optimo, frumenti, vini, olei, cæterarumq; frugum maxime fertili. Vellerum quoq; copia pernobilium affluit, vnde maximū incolæ faciunt quæstum. Plura de florentissima Veronensi vrbe, Leander in Marchia Taruesina, auido Lectori suppeditabit. Quemadmodum & quatuor peculiaribus libris, Torellus Saraynas, vir præcellentis ac curiosi ingenij, qui de origine, amplitudine, viris illustribus, de dominio, & monumentis antiquis patriæ suæ, peculiari omnium operum commemoratione facta, singulorum etiam picturam, Ioannis Carotti, graphidis peritissimi opera, representans, tanta diligentia scribit, vt ne curiosissimus quidem, in ea narratione quidpiam desiderare queat.

MAGNIFICA ILLA
CIVITAS VERONA


- 1. Castellum S. Felcis
- 2. Castellum vetus
- 3. Castellum S. Petri
- 4. Villa Franca
- 5. S. Mantua




COLONIA AVGVS
TA VERONA NO
VA GALLIENIA
NA.

VERONA,
celeberrima, amplissi
maq; Cenomanorum
vrbs. Ptolemeo; Euga
neor. Plinio; Germanis
vero, Dietrichs Bern

AMPHITHEATRVM IN FORO
BOARIO SIT. VM.






PISAVRVM



PISAVRVM elegans Piceni vrbs, cuius quidam adpellationem ab Ifauro amne, quo alluitur, addita P. litera, formatam existimant, conditamque à Romanis anno eorum vrbs DCXXXIII. posteaque Coloniam ab ipsis effectam, cum Mutina, Parmaque, vti Liuius tradidit. Inter hos Colonos fuisse Lu. Actium Poetam Tragicum, parentibus Libertinis natum, Eusebius scribit. Nec defuere, qui Farnatiani castelli, Pisauero finitimi, nomen, æuo nunc corruptum, ab Actio manuisse, tanquam prius Actianum sit dictum, existimarent. Vnde antiquitus quidam hanc urbem Farnacianam adpellatam prodidisse videntur, sed merclè, vehementer aberrant; aliter enim ac Pisaurum à nullo auctore classico, nominatam constat. Liuius multis in locis Pisaurum memorat, maximè, cum Ful. Flaccum Consulem viam Pisauensem strauisse, templumque Iouis Pisauri ac Fundis ædificasse, itemque ad Pollentiam adduxisse aquam scribit. Cæsar etiam in commentarijs, alijque veteres plurimi, huius vrbs fecere mentionem. Dirutam à Totila, refectamque à Belisario, Procopius, & Blondus, auctores sunt. Vrbs nunc est ædificijs lauta & elegans, in qua munitam atque pulchram arcem ad littus Ioannes Sfortia condidit. Et Franciscus Maria, firmis eam mœnibus cingere cœpit. Curiam habet sumptuosam, aliasque præterea nobiles ædes, sed cæli grauitate vehementer laborat, præcipueque mensibus æstiuis, vt adeò paucissimi hinc mortales annos quinquaginta superare, nec multi ad eam ætatem peruenire soleant: quam obrem æstiuante aère, potissimeque sub Canicula, tot absuntur pueri, vt absque ingenti dolore commemorari nequeat, vnde nimirum Catulli illud est ad Iuuentium. Præterquam iste tuus moribunda in sede Pisauri Hospes, inaurata pallidior statua. Putamus tamen etiam nos, incolarum huius loci breuem vitæ cursum, non modo ab cæli grauitate, sed etiam à copia fructuum optimorum ac suauissimorum, quibus immodicè vescuntur, proficisci. Generantur enim hinc in corporibus humores noxij, quos deinde perniciales morbi consequantur, necesse est. Ager vrbs peramœnus & vndique propemodum vitibus, ficibus, oleis, ac alijs id genus arboribus fructiferis refertus est, è quibus cum suauissima vina, tum alij fructus optimi percipiuntur, imprimisque mira copia ficuum, quæ arefactæ, tum huic vrbi vniuersæ sufficiunt, tum etiam exportantur, & apud Venetos, Bononienses, totaque Flaminia magno in pretio sunt. Pisaurum certis anni temporibus ad mercatum Italici, Illyrici aliarumque partium negociatores conueniunt, propter locum mari conuehendis mercibus valde opportunum. Ingenia tulit magno numero celebria, cum primis Anduinum summum Medicum, & Pandulphum Collenutium, Græcis Latinisque litteris, quod eius scripta testatur, pereruditum. Scripsit de machinæ tormētariæ, quam bombardam vocant, inuentione, item Baretam aduersus aulicos lingua vernacula, cum historia Neapolitani regni. Pisaurius quoque fuit Petrus Barinianus, excellens poeta, superioribus annis defunctus. Extra portam vrbs, quæ spectat in occasum, amnis est Folia, priscis Ifaurus appellatus, præterquam Plinio, qui in sexta regione Pisaurum, vti & oppidum nominat. Oritur Apennino fonte, iuxta Cotili arcem, mœniaque Pisauri alluit, vbi pons lapideus viam Flaminiam, itemque Picenum cum regione Flaminia iungit, moxque mari illabitur ostio sæpè arena fluctibus deferentibus adeò completo obturatoque, vix vt exiguas recipere nauiculas queat. Finis Anconitanæ Marchiæ, principiumque Flaminiae est.



ORIVETVM



R

ORIVETVM



RIVETVM, Mediterranea Thufciæ ciuitas, sita est in excelsi, præcipitisque montis, spatiosa in vertice planitie, sine muris, quorum vice rupibus vndique præruptis, altisque; cingitur, naturâ hoc modo creata, vt ex summa crepidine despectum in ima, perquam horribilem habeant. Cælo est iucundissimo, præter quàm autumnali tempore, quum in amne finitimo Palea, cannabis solet macerari: tû enim aër, eo fœtore corruptus, colonis permolestus est. Templum hîc sumptuosissimum, cuius frontem pernobiles ex marmore statux, summorum artificum operis elaboratæ decorant. Inter cætera est historia costæ Adamo extractæ, ex qua summus conditor Euam figurauit. Hæc tanto artificio facta sunt, vt haud putem humano ingenio vinci posse. Templi fenestræ alabastreticæ sunt, non aliter, ac vitrum perlucidæ. Seruatur hîc magnis honoribus linteum, quod Bolsenæ miraculo magno sanguine est intinctum, ex hostia sacrosancta stillâte. Id quotannis, die, qui corpori Christi festus agitur, per urbem, ingenti cum religione deferunt, memoriæ tanti miraculi causa. Sunt hîc ædes splendidissimæ ab Urbano V. Pontif. Maximo factæ. M. LXXII. post C.N. anno. Vrbs frequens olim admodum fuit, cæterum auorum nostrorum memoria, partibus Muffatorum & Marcolinorum perniciosissimis desolata propemodum, per plurimas illarum inter se cædes, expulsionisque: quam extinctis deinde factionibus, paulatim inter res pacatas, satis se tum populo, tum opibus refecerit. In planitiem hic præcipiti via deuenitur ad Paliam, qui amnis à Catone Pelia vocatur, & infra Oriuetum in Tyberim cadit.

LAVRETVM.




IN Piceno, inter Ricinetum & mare, haud procul à Musone fluuio, inclytum toto Christianorum orbe Fanum, in colle D. Mariæ Lauretinæ iacet, fortissimo muro cinctum cum vico, quem ferè caupones, stabularijque, ac diuersorias tabernas exercentes, incolunt, ad eos, qui quotidie ex omni Europa, præcipua tamen frequentia primi veris & autumnalibus temporibus, huc, votorum causa veniunt, excipiendos. Initium de hoc delubro scribendi vnde potissimû facere oporteat, equidem ambigimus, ob excelsam loci religionem summamque magnificentiam: Attamen cum illius sanctissimi conclauis in mentem venit, in quo nata educataque cælorum Regina, semper Virgo Maria, mater filij Dei, ac vbi nunciante Gabriele Archangelo genitrix Dei adpellata, item vbi in ipsa carnem hanc nostram ærumnosam assumpsit Deus, quò nos à Tartarei Sathanæ tyrannide, ac potestate ad regni cælestis portam, quæ tot sæculis, ob primorum parentum noxam occlusa steterat, traduceret; de illo, quanquam dignè haud posse, satis propter ingenij nostri tenuitatem intelligamus, tamen pij curiosique Lectoris gratia, breuiter aliquid commemorare instituemus. Primum omnium haudquaquam dubitare oportet, hoc illud ipsum conclaue esse, in quo mundi regina in lucem edita; quandoquidem, præter grauissima, scriptorum hac de re, ac item, vti ab Angelis huc deportatum sit, quæ leguntur testimonia, nemo tam duri cordis, aut sceleratus esse potest, quin ingressu mollescat, ac se ipsum diuina quadam vi, & instinctu moueat, ad locum honorandum, precesque ad Diuam, vt pro venia suorum criminum apud Iesum Christum velit intercedere, fundendas. Prætereà verò id miracula confirmant, hîc diuinitus edita, quibus mortales Matri Dei supplices, votorum compotes facti, & etiamnum quotidie fiant; vt euidenter monumenta scriptorum, statuarum ex auro, argento, cera, picturæ, aliaque similia, quæ per multas ætates & sæcula, huc delata, suspensa que cernuntur, indicant. Et enim omnia hic à Deo miraculose facta, sigillatim recensere, quæ eiusmodi sunt, vt ijs incredibilia videantur, qui Deum Optimum Maximum dulcissimæ Matris precibus, haud permoueri existimant, non solum infinitum planè foret, verumetiam perfectè nullo fieri studio, facultateque posset: ideoque hîc nobis consistere visum: orandaque sanctissima Dei genitrix, vt quod à me, vti oportebat, ac debiti erat mei, non laudatur, id benignitate condonet sua. Aedes hîc est magnificentissima, cuius in medio conclaue sacrosanctum, conclusum muro crasso, sic tamen, vt humanum opus diuino coniungi nunquam poterit, quemadmodum apparet, eo scilicet documento; id haudquaquam esse dignum, vt quos Christi Mater tetigit, parietes, contingat. Fanum totum mœnibus fortissimis, & omnibus armorum cum ad defendendû, tum ad feriendum generibus, itemque tormentarijs machinis, instructis, munitum est, ne à piratis iterum, vt olim à Turcis, diripiatur, ac vastetur. Auctores huius operis fuere Alexander VI. Pontif. multoque magis Iulius II. etiam toto vico muris complexo, vt nunc tutò hîc Canonici, & Sacerdotes, in fano sacris operantes, cum cætera plebe habitent.

ORVIE TO.



ORIVETVM vulgò Orvie
to Tuscia, nobilissima Italia
Regionis Opp

LAV RETVM.

LAVRETVM, agri Recenatè in
Italia celebre Opp a D. Abaria
antiquissima ibi sita caele illustratum.



TYBUR.



TYBUR, venusta Latij vrbs, vulgo Tiuoli, olim etiam Herculea vocitata, vt auctor est Strabo, quod Herculem præcipuè Tyburtes colerent, eoq; certa quotannis festa die, maxima populorum multitudo conflueret, vt ait Perottus. Quinetiam Cataracta nuncupata legitur, ob vicinas loci angustias, vnde fluuius Anio præcipitat, vbi primum nauigabilis esse incipit. Amnis enim ille, per nemora vsq; descendens, ibi ex editissimis rupibus, in subiectam conuallem delabitur, ac post in Tyberim intrat, vti etiam à Strabone perscriptum est. Liuius plurimis in locis memoriam Tiburis vsurpat, præfertim verò, cum bella Tyburtium, & Romanorum, pacemq; compositam inter eos refert. Et Ouidius in fastis inquit: Aspice Tybur. Posterioribus sæculis, Imperij Romani maiestate collapsa, florens etiam huius vrbs fortuna periit: à Germanis enim euersam, etsi post, à Friderico Aenobarbo muris ampliata restitutaq; sit, didicimus. Arcem ibi, quæ nunc est, munitissimam, Pius II. Pont. Max. extruxit, cuius aditum Ioannes Antonius Campanus, Episcopus Aprutinus, homo doctus hoc disticho exornauit. Grata bonis, inuisa malis, inimica superbis Sum tibi Tybur, enim sic Pius instituit. Cælum habet temperatissimum. Quapropter superioribus sæculis aulæ Romanæ Primores hîc æstatis feruentissima tempora soliti fuerunt exigere. Famam Tyburis Sibylla Albunea, Tyburtina cognominata, quod iuxta fontem Albuneam, propè Tybur esset nata, plurimum illustrauit. Eam hîc ad Anionem diuinis honoribus cultam reperi-mus, in quo amne postea simulacrum eius, librû manu tenens, inuentum est. Simplicij quoq; Pontificis Rom. patria Tybur fuit. sed & alios prætereà multos excellentes summosq; viros genuit, quorum omnium commemoratio, nisi longissimè fieri haud posset. Inprimis tamen Vincentius Leoninus fuit, qui diu summa cû laude, bellica studia sectatus est, & fratrem habuit Ecclesiæ, sua in patria, moderatorem sapientissimum. Extra Tybur altissimis in iugis, fons est, Albunea, quem sic ab aquæ qualitate dictum, ait Seruius in horum Virgilij versuum expositione:

——— *Oracula Fauni*
Fatidici genitoris aditus, Lucosq; sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, seuamq; exhalat opaca mephitim.

Addit etiam Seruius, sub alta Albunea dici, quod fons præcellis in montibus sit : à quibusdam etiam Leucotheam vocari; prætereà non solum fontis, sed etiam syluæ circumiectæ nomen esse Albuneam. Infra Tybur, haud procul, multa vetustatis inueniuntur monumeta, interque cætera, marmor insigne, quo Leo cum equo tam apertè cõmissus exprimitur, vt vera viuamq; pugna videatur. In læua, propinquo loco iuxta pedem montis, ruine apparent mirificæ, ac peringentes, villæ Tyburtinæ, quæ Adrianus Imperator immensis sumptibus ædificauerat, ita, vt in ea, & Prouinciæ rû, & locorum celeberrimis nominibus inscriptis, veluti Lycium, Academiam, Pritaniû, Canopum, Pœcile, ac Tempe partes vocaret, inquit Spartianus. Circû Tybur Latomiæ sunt, vbi lapis Tyburtinus, de quo Plinius etiam meminit, cæditur. Ex hoc & ex Gabio, maior splendorum ædificiorum pars vrbs Romæ constitit. Subiecta Tyburi planities, propter Anienem plurimis aquulis gelidis scaturit, quas Albulas vocant, multa medica virtute, cum potæ, tum balneo adhibitæ, pollentes, vt scribit Strabo. Nomen Albularum ab coloris albedine captum, quam metallum sulphuris, vnde fontes promanant, efficit. Quamobrem ita Martialis:

Itur ad Herculei gelidas, quæ Tyburis, arces,
Canaq; sulphureis Albulæ fumat aquis.

Similes natura sunt Labanis, in agro Nomentano, ac item alijs, circa Eretum aquis, vt Strabo perhibet. Ad viam prætereà, qua Tybure Romam itur, quibusdam in locis candentes generantur lapilli, dulciarijs condituris, velut amygdalarum, coriambri, anisi, cinamomi, ac id genus alijs, simillimi, adeo quidem, vt non nisi à prudentibus discerni queant.

MERIDIES

TIBURTVM vulgo TIVOLI.

St. domo.



Mirabilis Stupendiq; in Oppido Tiburtino Tiueronae flu-
Lapsus. (cascatam vulgo vocat Italis) Representa- tio.

DEPING. GEORGIVS HOEFNAGLE.

Bina huiusmodi Egiptiaca ex
porfido marmore Idola Tibur-
ti conspicua sunt.

- A. Templum Sibillae Tiburtinae
hodie nullo seruiens vsui
- B. Flumen Tiuerona cuius mi-
rabilem naturam ac qui-
etum (stagni iustar) sub
ingentibus rupibus exitum
Abrahamus Ortelius ac Ge-
orgius Hoefnagle studiosi
vixum eunt 1^o Febru-
1578



VELITRAE



VELITRAE, antiquissima Latij, in Italia vrbs, in monte, mœnibus vndique cincta, venustissimo situ conspiciendam se exhibet, & non ædificia tantum præclara, turrigerasq; sacras Religioni ædes, sed & arua, pomaria atq; vineta ambitu suo complectitur. Quondam honestissima Volscorum vrbs, vt Halicarnassensis pluribus in locis indicat, præsertim autem, vbi cum Liuius Velitrenses, à Martio Rege Romanorum obsessos, & spe destitutos auxiliorum, in deditionem venisse commemorat. Velitras quoq; Strabo & Ptolemæus nominant. Plinius Veliternos. Et Volaterranus scribit incolas huius vrbs aut Veliternos, aut Veliternos, appellari posse. Oppidum Velitras alibi quoq; Dionysius à Romanis captum, subactosq; Volscos, & alio loco lib. VII. Veliternos se populo Romano dedidisse narrat, posteaq; cladem Volscorum ingentem, eo potissimum argumento cognitam, quod Velitris vrbe frequentissima, vix decimam populi partem à pestilentia superfuisse constiterat, paucos autem illos Romam legatione missa, ciuitatisq; suæ calamitate Senatui exposita, eam in populi Romani potestatem tradidisse, refert. Liuius lib. VIII. Veliternos seuerissimè punitos scribit, quod antiqui ciues Romani, toties defectionem tentauissent: disiectos enim vrbs muros, optimatibus expulsis, & vltra Tiberim commigrare iussis, hac lege, ne citra flumen vnquam mille passus excederent, transgressoresq; vel multam penderent statutam, vel in vincula ducerentur; ne verò desolaretur vrbs prorsus, colonos imposuisse nouos, à quibus dein, pristinae formæ restituta fuit. Nomen, cū ab antiquitate, tum ab Augusti maioribus hinc ortis, habuit. Populo nunc satis frequens est. A Plinio lib. XIV. Veliterna vina, cum primis laudatur. Iucundissimus ex hac vrbe patet prospectus ad varia in vicinia loca, eruditorum scriptis celebria. Thyrrenum hinc mare videtur, Pontia & Palmarola insulæ; Pontinæque paludes (de quibus plura in Indice.) Celeberrimus itidem Circeus ille mons, in quo quondam domus Circes. De quo hæc Plinij sunt verba. Circes quondam insula, immenso quidem mari circumdata, si creditur Homero, & nunc planè. Clitarchus huic Insulæ mensuram posuit stadia LXXX. qui auctor, vrbs Romæ Anno CCCC. LX. scripsit. Strabo montem Circeum nominat CCXC. stadijs ab Antio, mari propinquum, ac partim eo, partim paludibus insulæ modo cinctum. Idem hoc; Virgilij in loco, Circeæ raduntur littora terræ, Seruius notat, addens, paludes in continentem pertinentes, amnium, ex monte Albano descendentium, limo tandem obductas, expletasque. Dionysius lib. IV. Circeos locum oportunum ad mare situm, promontoriumq; Thyrreno imminens, scribit. vbi Circe Solis filia dicitur habitasse. Fuit in eo quondam oppidum, sacellumq; Circes, & Mineruæ ara. Strabonis etiam ætate, poculum ibi ostendebatur, quo bibisse dicebant Vlysses. Mons efficacissimis herbis abundat, quarum vi, Circeos homines in bestias commutauisse ferunt, & socios Vlyssis, quem hospitio exceperat, mutasse in porcos. Vti Virgilius, Carminib. inquit, Circe, socios mutauit Vlyssis. Circeum Promontorium etiam Ptolemæus depingit, in quo ciuitas parua Circeum, Tarquinij superbi colonia, loco in Pomptinis campis totius Latij maximis, peropportuno, vt Halicarnasseus, & Liuius prodidere, qui prætereà multis alijs in locis, Circei montis, oppidiq; mentionē faciunt. Posteriore ætate oppido collapso, munitissima ibi arx condita, tutum antiquis Pontificibus à Tyrannorum sæuitia refugium, vti anno post C. N. M. C. XX. sicut à Blondo scriptum est, Gelasio II. Pontifici contigit. Facius de hoc monte, sic ferè loquitur:

*Aspice montem illum, vbi commorabatur
 Circe frequenter, incantationibus vacans,
 Ad stellarum, lunæq; lumen.*

VELITRAE VVLGO BLITRI.



- A Mons Circus vbi
Circen habitasse fabu-
lantur Poetae
- B Pontia Insula
- C Mare Tyrrhenum
- D Pontina paludes
- E Palmarola Insula

DEPINGEBAT GEOR-
GIVS HOEFNAGLE.



TERRACINA



TERRACINA, Antiquissimum Latij ad mare Thyrrænum oppidum, Pomptinæ paludi quondam hoc loco celebri, imminens, mari, prius temporibus circumfusum, vti Solinus testatur, & in hodiernum vsq; diem agnosci potest. fuit enim primæua fundatione in monticulo, conuallibus vndique cincto, per quas aquæ marinæ diffundebantur, ijs verò deinde terra paulatim oppletis, nunc continenti collis hæret, vrbsq; ad litus inferiori loco ædificata est. Ciuitas est exigua, sed frequens, & honesta: agro gaudet fœcundissimo, amœnissimoq; vitibus, citris, limonibus, & id genus arboribus abundante. Ad nomen quod attinet, an Terracina, vel Tarracina scribi debeat, optimos quosq; auctores, vtroq; dixisse modo reperitur. Strabo, Mela, Liuius, Antoninus, Cæsar, Ptolemæus, alijq; plurimi scriptores, Terracinam vocant, & Polybius Terracinenses commemorat. Sed Tacitus, Solinus, & Procopius, Tarracinam nominant. Olim Anxur, lingua Volscorum, eorûdem caput, vt Plinius, & Cato scribunt. Strabo Trachynam ab initio vocatam perhibet, id est, asperam, propter montem saxosum, in quo fuit posita. Græcis enim, vt Herodoto, *ἄνυρος*, isperum significat. Liuius etiam Anxur, dicit, inquiens: Anxur, trecenti in Coloniam missi sunt, bina iugera agri acceperunt. Seruius in eo Virgilij loco, Circeumq; iugum, queis Iupiter Anxurus aruis Prælidet, Iouem Anxurû in hac Campaniæ parte, quondam cultum scribit, ita dictum, tanquam *ἀνευ ζυγῶν*, id est, sine nouacula, quia barbam rasisset nunquam, ideoq; signum eius imberbe fuit. Lucanus de Anxure: Iamque & præcipites superauerat Anxuris arces: & Martialis ad Faustinum: ô nemus, ô fontes solidumq; madentis arenæ Littus, & equoreis splendidus Anxur aquis. Item, post, ad Frontinû, Anxuris æquorû, placidos Frontine recessus: & Silius: Quis Circæa iuga, & scopulosi verticis Anxur. Terracinæ quoq; nomen auctores plurimi posuerunt, in primis Liuius multis locis, præterquam; vbi spolia & prædam huius oppidi, causam ab initio fuisse stipendij, militibus dati, prodit, in hanc sententiam Fabio ad Anxuris iuxta paludes (Terracinam posteriores vocarunt) obsidionem profecto, simulq; capiendę vrbis exposita ratione, Seruilius Hala, mox cum tribus cohortibus eam obsidere incipit. Eæ, colle quodam occupato, qui vrbi imminebat, cû inde in muros euasissent, maximumq; iam vrbis discrimen Fabius animaduertit, edicto vetuit in oppidanos sæuiri, bonis tamen eorum direptioni permisis: qua in re, cum paritum Imperatori fuisset, ideo postea militibus æra dari cœperunt, quod ante diem illum, in vsu nõ fuerat. Alibi quoque scribit, militum manum in montis angustijs, ad Lautulas, non procul Anxure confedissee, dein pugnatum ibi, post, sub Afrubalis in Italiam aduentum, urbem hanc immunitate donatam; in super alibi, angues immensæ magnitudinis, piscium modo iuxta portum Terracinæ colludere visos, memorat. Suetonius Tiberium Imperatorem, in prætorio propè Terracinam cœnantem, ægrè repentinum saxorum lapsum, quo multi amicorum eius, & familiarium attriti sunt, effugisse scribit: quam rem etiam Tacitus memorat. Terracinæ Palmarius consul interfectus, quod cædem in Adrianum moliretur, vt Spartianus scribit, qui & portum Terracinensem ab Antonino Pio resectum prodidit. Transcurrit hac ad Terracinam urbem Appiana via, quæ Roma Brundisium ducit, maiori nunc ex parte paludibus submersa; quam ob rem Roma Neapolim euntibus, ad eius læuam, versus Terracinam in editiora paullum deflectere, necesse est. Strabonis ætate perelegans fuit. Traianus silice per Pomptinam paludem strauit, pontibusque multis per fossas & aquarum vias coniunxit, plurimis etiam ædificijs ad tutelam eius extructis, vti à Dione monumentis est proditum. Erat olim iuxta viam Appiam fossa profunda, perpetuis aquis, tum paludium, tum amnium vicinorum plena, per quam Terracina Romam nauiculis commeabatur. Eas sub noctem conscendebant, summoque mane in Appiam egrediebantur, qua dein ad urbem deueniebant terra. Erat hæc via sumptuoso opere facta, spondylis elegantium lapidum artificioq; tanto composita, vt ad decimum quemq; pedem, quæ pertica vetus fuit, & nostros pedes XII. efficit, lapides singuli medio pede præ cæteris eminent, decempedæq; mensuram demonstrarent, quæ quoq; ex transuerso erat latitudinis. Monumentorum veterum ad hanc viam vtrinque, tum vestigia, tum ingentes ruinæ, quin & integra etiam ædificia multa cernuntur. Iuxta fuerunt hæc olim municipia, Terracina, Formiæ, Minturnæ, Sinuessæ, Item pars agrum Tarentini, Brundisiniq; ac alię multæ vrbes, de quibus plura
|Leander.

VETVSTISS. AD MARE THYRRHENVM
TERRACINAE OPPIDVM.



- A TERRACINA olim dicta ANXYR
- B Monasterio di S^t Angeli
- C Theatrum quadratum
- D Antiquissima Arx hodie dicta la Rocca della
Citta.
- E Mare Thyrrhenum
- F Via Appia Neapolim Versus
- G Diversorium, Hosteria.

DEP. G. GEOR. HOEN.



MOLA



MOLA, in Latio ad Appiam viam, à C. Caligula Silice ex Olibano monte, strata, & vndiq; peramœnis hortis ornata, longus, & perelegans vicus, A molarum, vt pleriq; existimant, frequentia dictus, quas hîc è montium radicibus continuo profluentes, aquæ versant. locus est, me hercule peramœnus, horti vndique cultissimi, citris, limonibus, alijsq; nobilibus arboribus confiti, omnia quoque riuuli purissimarum aquarum grato murmure perfundunt, & passim in habitationes magna cum voluptate ducuntur. Fuit hic, vt ait Volaterranus, Formianum Ciceronis, de quo ille lib. 2. de Oratore scribit, Lælium ferè semper cum Scipione rusticari solitum, eosq; quoties huc ex vrbe, tanquam è vinculis euolauissent, incredibiliter repuerascere esse solitos. Multitudo sane veterum monumetorum, & marmorum similiter inscriptorum, prætereaq; vestigia magnarû domuû, olim hunc locum valde frequentatû comprobât. Et profectò, cæteris Italię peramœnissimis iure debet annumerari; quamobrè & à Martiale describitur huiusmodi carmine.

*O temperata dulce Formiæ littus,
Vos cum seueri fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exiit curas
Apollinaris, omnibus locis præfert.
Non ille sancta dulce Tybur uxoris
Nec Tusculanos, Algidosue secessus,
Præneste nec sic, Antiumiue miratur,
Non blanda Circe, Dardanisue Caieta
Desiderantur, nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota salmacis vena.
Hic summa leni stringitur Thetis vento
Nec languet æquor, viua sed quies ponti.*

Spatio deinde P. M. V. Caietam vsq; per sinuosam Caietani littoris oram, eadem via summa cum voluptate, amœnissimi cernuntur horti, citris, limonibus, & id genus arboribus frequentes, aquulisq; lympidissimis irrigui, ad initium vsq; promontorij, cui infidet CAIETA, quod Laconico vocabulo à curuitate nomen sortitum existimant. Lacones enim curua omnia, Caietas adpellabant. Solinus tamen auctor est, sic ab Aeneæ nutrice nominatum, quod etiam testatur Virgilius, inquiens: Tu quoq; littoribus nostris Aeneia nutrix, Aeternam moriens famam Caieta dedisti: quem in locû Seruius annotat, alios hanc Aeneæ nutricem, alios Creusæ, alios Ascanij dicere. Lectum tamen etiam in philologis, hoc loco classem Troianorû casu concrematam, indeq; Caietam *από τῆς καίτης* dictam, quod accendere, adurereq; Latinis significat. Verumenimvero Landinus in eisdem Virgilij versus aliter scribit, tradere quosdam, olim, vbi nunc Caieta, modicum fuisse castellum Epicæ, sic ab Epica vrbe Herleæ vocatum, Caietæq; mentionem etiam Homerum facere, cæterum præterea concludit nihil. Sed auctorum melior pars, Virgilio consentit, vti quoq; Facius, hac sententia scribens:

*Vidi vbi Catillus postea vixit,
Quam Thebas reliquit, & in vrbe fui
Cui Aeneæ nutrix, nomen adhuc præstat.*

Caietam quoq; Silius adpellat, & Ptolemæus, alijsq; classici auctores: vbi portus semper celeberrimus fuit, amplissimè, vt Spartianus perhibet, ab Antonino Pio resectus. Vrbs est munita cum primis, & arcem habet inuictissimam summo in monte, quem superioribus annis muro cinxit Ferdinandus Arragonum & Neapolitanorum Rex, Gallis ductu auspicijsq; Consalui Ferrantis è regno pulsus. Episcopus vrbi datus propter Formias à Saracenis excisas. Plurimum eam Gelasius II. Pontif. illustrauit, item ætate nostra Thomas Vionius prædicatorum familię generalis magister, & post à Leone X. Pontif. Cardinalis creatus. Multa vir ille cum theologica, philosophica, logica, tum de cõscientiæ casibus scriptorum monumentis prodidit: & profectò parem, aut secundû aliquem, neq; nostra memoria, neq; multis antea actis sæculis habuit, quanquã nec æmulis caruerit multis. Obijt Romæ post C. N. M. D. XXXIII. anno. Elatus vti monachus, quod ipse iusserat, absq; pompa funeris, & apparatu Cardinalitio, monumentoq; conditus extra portâ magnam Mineruæ ad dextrâ, quod ipse viuis sibi posuerat, cum hac inscriptione; Thomas de Vio Caietanus Cardinalis S. Xistij, ordinis prædicatorum. Vitâ eius Ioan. Baptista Aquilanus tam prosa, quam carmine pereleganter scripsit. Maximis cladibus non semel obrutâ Caietâ didicimus. Ingês ibi clades anno à C. N. 1394. contigit, quâdo à Gallis direpta lacerataq; cû ingenti oppidanorû cæde. nec enim aut sexus, aut ætatis, aut religiosorû penetraliû discrimê habitû. Multis præterea post id tempus in hunc vsq; diē regni Neapolitani mutationib. conuulsa quassataq; vrbs, cæterû fide Ferdinandi regis Arragonum, Caroliq; V. dein Imperatoris Augusti constantissimè pertinacissimeq; semper hæsit. Hæc de Caieta.

A. I. O. M.

SEPTENTRIO.

IN QVOQ. LITTORIB. NOSTRIS AENEIA
MUTRIX AETERNAM MORIENS FAMAM CAIETA
DEDISTI

MOLA


CASTEL NOVO.



Georgius Hofnagle
 elegantissimi ad
 Mare Tyrrhenum
 CAIETAE pros-
 pectus depictor

Abrahamus Ortelius
 studiosus Contemplator
 admiratorq. Itineris
 Neapolitani comes
 Jucundissimus





184

MOJA

184

184

184

184

CAMPANIAE FELICIS DELICIAE.



QUONIAM nusquam toto terrarum orbe, alma rerum parens, dominaq; natura, eius clementissimo gubernatore ita celi benignitatem disponente, plures delicias, gaudia, oblectamenta, amoenitatesq; incredibili vbertate, quam in Campaniam illam foelicem, potissimum verò in Baianum, Puteolanumq; sinum profudit, Aded, vt hoc loci potissimum, cum summa spectantium admiratione, amoenissime orbis terrarum deliciae, luxuriantisq; naturae venustas adpareat; Dixeritq; ille verissime, Nullus in orbe locus, Baijs praelucet amoenis: Plinius itidem Campaniam appellavit foelicem, ob foelicem, beatamq; amoenitatem, qua vno, inquit, in loco, palam naturae gaudentis opus demonstratur, Vt similiter tradiderit Strabo, cum omnium rerum ad vsus humanos affluentia, tum amoenitate iucunditateq; Campaniam omnes Italiae totius partes, quam longissime superare: Idcirco peregrinarum Regionu, & historiarum studiosis, incredibiles Campaniae verè foelicis delicias, peculiari descriptione expressimus, vt vnico intuitu, in haec tanta naturae luxuriantis miracula visum pandere, seq; oblectare, atque reficere queant. Ac primum quidem narrationem hanc nostram, à promontorio Miseno ordiemur.

PROMONTORIUM Misenum, siue mons Misenus, Cumis abest miliaribus quinis. Nomen à Miseno Aeneae socio, qui hic periit, ortu, Dionysius auctor est, confirmatq; Virgilius libro 6, Aeneam anxium, vbi raptus fato Misenus humaretur, a chatem consuluisse, demum hoc in loco sepulchrum illi conditum scribens, vnde monti nomen tum Miseno accessit, cu prius diceretur Aerijs. In hoc monte Pharus olim fuit, altissima nimirum turris, ad cuius è summo vertice noctu praelucet facem, nauigantes cursum dirigerent. Vbi hic mons tribus in mare lateribus excurrens, formam promontorij nanciscitur, intimis visceribus aded perfossus, & cryptis, aedificijsq; fornicatis, què numerus columnarum maximus fulcit, ac sustinet, excavatus est, vt ijs fornicum pilis incumbere prorsus, & insidere videatur. Cryptam Traconariam vocant, à Traconibus nimirum, id est, fistulis, aut subterraneis meatibus, per quos in specum hunc olim aquae pluuiæ consuebant.

PROCHYTA Insula, ante Misenum promontorium iacet, terremotu à Miseno diuisa, vt lib. 1. Strabo refert, licet idem auctor lib. 5. Et Plinius lib. 3. cap. 6. ab Aenaria distectam scribant, quod & eius nomen ostendit. Prochyta namque Profusam interpretatur. Habet eiusdem nominis oppidum, ac terrae frugibus, perdicumque aucupio nobilitatur.

ISCLA, Arime, Homero, Aenaria, Plinio; Inarime, Virgilio; (licet à plerisq; notetur) Pythecusa, Straboni, et Graecis dicta, à Miseno promontorio terremotu & ipsa discreta, vt libro primo auctor est Strabo, cuiusuis generis frugum, & auri quoque feracissima est. Balneas habet plures, & ad delicias, & ad valetudinem aequae accommodas.

MARE MORTVVM hoc loci conspicitur. Nam promontorium Misenum, qua Cumas spectat, lacum habet aquae marinae, locorum accolae Mare mortuum appellant, eius aquas, Puteolanus sinus effundit, & olim longe, quam nunc amplior fuit.

Circa mare mortuum vndique plurima sumptuosissimorum operum fundamenta, ac item partes conspiciuntur. Est praeter alia descensu graduum 40. in ipsis terrae visceribus admirandum opus, latere, calceq; factum, quatuor columnarum ordinibus, id est, quintuplici fornicatione, aedificium hoc vulgo Piscinam mirabilem appellant. Villa olim fuit L. Luculli Baiana, vbi ille menses hybernus agere solebat. De qua Plutarchus in vita Luculli scribit, Cum in Lucullano, quod nunc Frascata vocant, Cn. Pompeius, M. Cicero, multiq; alij nobiles viri L. Lucullum, estiuo tempore conuenissent, Pompeium inter cenam cum Lucullo familiariter ita locutus, eam villam sibi in primis elegantem atq; sumptuosam, fenestris, coenaculis, porticibus, arte summa dispositis, nimirum ad vsu aetiuu temporis, caeterum ad hyemem multitudine fenestrarum vehemeter incommodam videri. Lucullum Pompeio respondisse, dominum earum aedium, haudquaquam minus sapere gruibus, quae natura duce, regionem cum tempore mutant, ideoq; domum illam aetati conuenientem, aliam autem in Baiano, nulla parte deteriorè, hyemis oportunitati aedificasse. In huius etiam peninsulae visceribus per amplum aedificium videtur, quod centum Camerellas, ab cellularum numero peractis, at, artificij maximi ostiolis ingressum difficulter praebentium, appellat. Id quoq; cisternam fuisse colligitur, cuius generis hoc tractu subterraneae multae conspiciuntur, olim à Rom. qui in hac praecipue amoenitatis ora, rusticari solebant, aedificatae. Vestigia quoq; passim aliorum operum, nempe, monumentorum, ac aedium apparent, vt hercule, perpetua quaedam hic vrbs non velle, videantur fuisse.

SINVS Baianus hoc circa mare mortuum tractu, incipit, qui à Maris mortui faucibus, vsq; ad intimam extremitatem Auerni, venustissime extenditur, quo quidem tractu, & inde ab Auerno Puteolos vsq; incedenti, tam variae magnificarum aedium, operumq; tanq; perpetui vici ruinae conspiciuntur, vt equidem curiosa ingenia plane cogant obstupescere. Primum circa Maris mortui fauces, asperrima rupes excavata cernitur, ita vt per eam nunc in sinum Baianum, è Mari mortuo comeari nauigia possint. Baianum inde vestigia sunt, ingentia nimirum pelago demersa operum fundamenta, cuius quidem vrbs interitus, à vi terremotu exortus est. Non procul inde Balnea Baiana, quae vocantur accole, Medici verò Syluania, reperiuntur, in ripa nonnihil excavata. Iuxta, eadem in ora litoris, ampla domus ad rupis pedem, in saxum excelsa conspicitur, vbi **BALNEVM TRITVLI** Medicis ita dictum, sed vulgo Ciceronianum, ac item Pratense; Ciceronianum quidem, quod in villa Ciceronis, Academiae nomine clara, extant, Pratense verò, quod in prato fit.

CRYPSTA supra Balneum Ciceronianum in rupe, graduum aliquot ascensu reperitur, mirabili opere excisa, altitudine pedum 6. Latitudine 5. Sed in longum, sinuoso anfractu plurimum extensa, sua uem, & iucundum exhalans odorem, quam, si quis erectus ingreditur, repente sudabit, si pronus, & ad solum inflexus, refrigeret. Vt superius, ad dextram vergenti, aqua purissima, sed penè feruens, & tactu vix innoxia, quam pleriq; credunt in infimum balneum occultis vijs diffuere, vulgo Fricatoria & Sudatoria Baiana appellantur, de quibus plura in Indice.

TEMPLVM Herculis Bauli, hic ferè omnisimius, quod trāfitis Tritulinis aquis, ad Auernum montem Orientali latere rotunda forma Plinius demonstrat. Id ad Baianum fuisse sinum Strabonis quoq; narratio probat, cuius etiam nunc permagna conspiciuntur ruinae.

LVCRIINI, de hinc celebratissimi **SINVS**, Baianum portum, subsequuntur vestigia, Vbi aggerem, quo mare arcetur (vt perhibet Strabo) Longitudine stadiorum 8. latitudine, qua duo vehicula commeare queant, Hercules, boum Geryonis traducendorum causa, iecit, quoniam antea propter vndarum, & fluctuum impetus, per oram sinus incedi vix poterat, etfi quoq; super vicinas rupes declinaretur.

MONS SIBYLLAE Cumanæ, hinc longe conspicitur, de cuius habitatione & antro, peculiarem descriptionem exhibemus.

LACVS AVERNVS, poetis celebratissimus, hinc sequitur, ad quem ex Lucrino quondam comeari licebat, sed hic transitus conflagrationis Tripergulae violentia, prorsus immutatus, atq; conuulsus fuit. Auerni autem paludis aqua sapore salua, colore nigra est, quod ob immensam profunditatem accidere putatur, cum fundum eius imum, non posse deprehendi, Vibius Sequester asserat. Eius tamen fundum à curiosis quibusdam hominibus inuentum fuisse constat, fune scilicet, passuum 90. quos singulos vlnarum quaternae constitunt, vt sic altitudinem stagni 360. vlnarum esse constiterit. Sunt, qui existimant dictum Auernum, tanq; *ἄρπυγος*, quod aues superuolantes, odoris eius grauitate conciderent enecatæ, tanquam ad Plutonem abriperentur, Indeq; stagnum Plutoni sacrum habitum. Caeterum Abrahamus Ortelius, & Georgius Hoffnaglius Antverpiani, viri eruditissimi, summiq; antiquitatis admiratores, dum superiore anno Baianum, Puteolanumq; sinum, ad visenda tum naturae, tum arte excitata miracula studiosissime perquirunt, experientia certa cognoscunt, paludem hanc iam *ἄρπυγος* non esse, quemadmodum Auctores permulti prodiderunt.

TRIPERGVLANA Balnea, hic olim ad Auernum fuisse, ab loci structura sic cognominata, domo nimirum tripartito diuisa, quod vna pars cu stodiendis vestibulis, altera lauationi, tertia lectis attributa esset. Sed haec balnea, & frequentissimum olim, amplissimumq; vicum, & permulta nobilia aedificia, horribilis terrae motus, & conflagratio stupenda deformans, conuulsit, & maxima montis noui mole oppleuit, vt iam non amplius appareant.

MONS NOVVS, eo loci, vbi quondam Tripergulanus extitit vicus, Anno Christi 1538. mirabili & violenta naturae operatione vna nocte est ortus, quaterna radicum ambitu miliaria continens, in medio remanente hiatus, latitudinis, vt aestimari poterat, L. passuum. Instar habet Theatri, leniter à summitate cliuo se pandens; intus lacuna est, tanquam area modica, quae clarissimas aquas continet, fumum sulphurei odoris exhalantes. Plurima mōs ille Tripergulae balnea, virtute salutaria, magnamq; Lucrini & Auerni partem contexit, praeter ea, marinas etiam aquas haud parum submouit.

PVTEOLANVS iam **SINVS** nos excipit, in quo ab ostio, quod olim per Lucrinum aquas Marinas in Auernum immittebat, tum in ora litoris, tum intus in continenti, collibusq; versus Puteolos, tam multae splendidissimorum operum ruinae conspiciuntur, vt admirationem incredibilem habeant, adeoq; nunc orbis terrae vires, opesq; cunctae tot operibus extruendis haud suffecturae videantur.

PVTEOLI, iuxta litus colli imposita ciuitas, à qua Sinus Puteolanus vocatur, Initio Dicæarchiam dictam, nimirum ab administratione iustitiae, sanctissimoq; imperio, erudita scriptorum turba confirmat. Emporium Cumanorum Puteolos fuisse, posteaq; colonis Romanis admodum frequentes redditos, & nomen à Puteorum multitudine accepisse, vel, vt alijs placuit, à putore, quem hic passim aquae calidae, vi sulphuris emittunt, quapropter nonnullis etiam Phlegra vocatus sit Cumanus ager, Strabo memoriae prodidit. Vrbs medio nunc templum antiquissimum ex quadrato lapide cernitur, quanquam vi terrae motuum nonnihil deformatum. Id Christiani, D. Proculo dedicarunt. Portus ad huius oppidi pedem valde commodus & tutus fuit, cuius nunc fermè nulla vestigia supersunt. Contra in mari 13. vastissimae pilae turrium instar, ex latere structae, ac in ijs quibusdam arcus femirutati cernuntur, & aduersum illis pilis, quae item in aequore iuxta Baias apparent, Pontem ab Caligula Imperatore superiniectum, quo transitus à Puteolano litore vsque in Baianum sinum iungebatur, Suetonius amplissime memorat.

ORBIS TERRARVM DELITIA.

NULLVS IN ORBE LOCVS



PRAELVGET AMOENIS

LUXVRIATIS NATVRA VENVVS



HIC VER ASSIDV VM ATQ ALIENIS MENSIBVS AESTAS
BIS GRAVIDA FRVGES BIS POMIS VUTILIS ARBOS.



S. D.


ABRAHAMO ORTELIO GEORGIVS HOEFNAGIUS

Cum vt studiosis rerum exoterarum prolession felicitas illius ac nobilis Campaniae felicitates omnes, delicias, venustates, et Naturae quodammodo exultantis, ibiq; luxuriantis gaudia, et oblectamenta in sinu Baiarum Puteola nuncq; ab alma pariete amoenissime congesta, tribus comprehensisset tabellis ab Hogenbergio nostro (ad efflagitante) in lucē caedens Cogitanti mihi curā amicor. Potissimum hosce Ingenij mei ludos otijq; pacifici fructus honestos, deferre, occurrebas tu solus, tu primus, tu Postremus mi Ortelii, cui multis nominibus non solum conueniebant, sed etiam iure debebantur: Tum Maxime quod cum nos dulcis Parthenope simul ambos complexa et exosculata fuisset, horum omnium mirabilium visendorum tu mihi comes ΣΟΥΔΟΥΤΟΠΗΣ existeris. accipe igitur amice amaris monumentum, quod per nostrum Mercurium nos Tra tibi mittit Commendatq; Minerua: et quaecunq; sit pro tuo cadore boni Consilio Vale ex nos Fro Muso Bavarico cal. Martij

- A. Mare Tirrhenum
- B. Promontorium Misenum olim mons aërius, nunc Misenus dicitur a Miseno Aeneæ Tubicine sibi sepulto. Verg: 6. Aeneid. In radice huius montis cypria est stupendi operis quae vulgo grotta Trachonara appellatur
- C. Prochijta Insula.
- D. Ischia insula quae etiam Aenaria et Pithecusa dicta fuit
- E. Mare mortuum
- F. In Visceribus huius Istmi piscina mirabilis est quam L. Luculli domus fundamenta fuisse perhibetur. Visuntur etiam in hisce rupibus subterranea edificitia quae vulgo ab incolis se cento camarelle appellantur, et supra montem locus ingens est in circuitu Theatri instar ingentis ostēdens ruinas, ubi olim celebrabantur quinquatria in honorem Mineruae hodie mercato del sabato dicitur.
- G. Castrum baiarum
- H. Sinus baiarus
- I. Templum herculis, hauri, vulgo truglio di baie
- L. Balneum Trituli, siue frituli. habet eadem haec rupis in visceribus cypriam manu cauatam, admodum arctam per ascensum multorum graduum in longitudinem protensam, odoris suavis: in qua, si quis erectus ingrediatur, statim sudore prehenditur: si prorsus et inflexus friget: vulgo sudatorio appellatur
- M. Hic sub mare via videtur silicibus constrata quae Romam ducebat. Visuntur et fundamenta et moles claustrorum lacus lucrui.

- N. Hic esse solebat lacus lucrinus cuius adhuc pauca supersunt vestigia, terremoto Anno 1538. terra oppletus.
- O. Mons hic ab incolis Monte sibylla dicitur quod in illius radicibus antrum sit Cumanae sibyllae
- P. Lacus Auernus, qui et palus Acherusia dicitur post cuius montes olim fuit diues Capua.
- Q. Mons nouus seu puniceus, terremoto anni 1538. incendioq; horribili die ultimo Septembris vna nocte ibi congestus, vulgo Monte nouello Antiquitas hic esse solebant Tripergolae.
- R. Mons Gaurus hodie monte barbaro.
- S. Sinus Puteolanus.
- T. Oppidum Puteoli. diearchia die ta primo.
- V. Moles (vt perhibetur) pontis C. Caligulae.
- X. Via, quae per montem olibanum, Theatrum putolanum, labyrinthum, per montes flegreos, et leucogeos, siue forum Vulcani, qui locus hodie la solfataria dicitur, perque lacum stianum, letaleq; antrum. Neapolim ducit.
- Y. Templum Antiquum, olim Ioui, hodie D. Proculo sacrum ex candido Marmore mira arte elaboratum. terremotobus conuulsatum





ANTRVM SIBYLLAE CVMANÆ.



ACVMIS nobilissima & antiquissima quondam Campanie vrbe, ad Auernum Lacum proficiscentes, Sibyllę cauernam, vt vocant, obuiam habent. Antrum est, opere non minus admirabili, quàm sumptuoso, in Saxum effossum, de quo ita, venusta narratione Leander. Ego, cum à C. N. M. D. XXVI. primū, & post decimum iterum ad hęc loca deuenissem, cuncta sigillatim inspiciendi, cognoscendiq; studio ductus, assumptis comitibus duobus, qui secessus omnes exacte tenebant, per sinū Baianum & Puteolanū, vbi multa conspiciuntur admiranda, (veluti quoque circa Mare Mortuum, vt nunc vocant) ad lacum Auernum, poetis celebratissimum, itemq; multis nominibus memorabilem, rate deferri volui, breuiterq; referam, quę viderim. Primū in eam partem montis, circa lacum egressi, quę inter Septentrionem & Occasum iacet, de qua Virgilius, Facilis descensus Auerni, ad medium vepreti, quod ibi est, aut paulò inferius, inter dumos, & vrticas, antrum exiguum, instar aditus sepulchri collapsi reperimus. In id ingressi, per ruinas operum aliquandiu procedentes, viam elegantem in saxum excavatam, latitudine pedum X. altam XX. in longum D. extentam, vidimus: & quantum coniectura licet assequi, cum obstructa muro sit, vltterius olim ad Baias procedebat. Hanc eam esse crediderim, quam Strabo scribit, Coccejum fecisse, qua Cumis, & ab auerno, Baias commeabatur. Ad 450. pedem ostiolum in ea cernitur altum pedes 5. latum 3. per quod eiusdem mensurę via, in saxum excisa, longitudinis ped. 80. proceditur. Ad eius finem, dextra per bellum est conclauē, longum ped. 14. altū 12. latum 8. Intus ex aduersū ingressi iuxta parietē, saxū à pavimento eleuatū, instar exigui tori est. penetrale hoc olim, vti etiamnum ex parte cernitur, magnificentissimè perfectum. ornatumq; fuit: summa testudo file attico, cum auri notis depicta: parietes Zophoris distincti, ex margaritarum conchis, & corallo compositis, infra Zophoros vsque ad imum solum, opere tessellato ex gemmis, itemque corallo, & margaritarum conchis inducti erant, cuius operis etiamnum aliqua signa conspiciuntur, non minori sumptu, quàm artificio quondam facti. Vulgò fama est, hanc Sibyllę Cumęę habitationem fuisse. Ad lęuam introitus eius conclauis, eodem in pariete, quędam alia portula cernitur, paulò latior altiorque, per quam ad cryptam aliam latitudinis ped. 6. longitudinis 25. via lata ped. 4. alta totidem, sed longa 40. ducit. Inde tum via breui, & per angusta, sed altitudinis pedes 4. in quandam cryptoporticum, altam, pedes 8. latam 10. longam 24. deuenitur, quę directò propemodum in alterius medium definit, altę ped. 20. latę 6. longę 42. Contra eius introitum, angustum item in saxo excavatam facellum est, latitudine ped. 10. longitudine 6. altitudine totidem, ad cuius introitum in eodem pariete, dextra, alterum conspicitur, latum ped. 9. longum & altum vt superius. Huius in medio lacusculus aquę est, locusque tanta vi caloris effluat, vt sudorem nemini non excutiat intranti. Qui recessus hos tenent, Sibyllam aiunt inibi votis operam dare consueuisse: mihi tamen sudatorium verius fuisse videtur. Hucusque à primo ingressu, qui lacum Auernum spectat, nullum omninò spiraculum est, sed obscurę cauernę, perpetuę, in saxum excisę, per quas absque lucerna commeari nequit: & si quis ingrederetur aliter, euadere profectò haud posset, vt cuidam accidisse constat, per cuius ossa nobis in ijs angustijs necessario fuit incedendum. Prius etiam exitus in fine nullus patebat, sed ad ostium, quo introibatur, retro erat commeandum, quod & prima vice nobis vsu venit: nunc etiam auulsa montis parte, versus Baias, antrum apertum est angustū: per quod, non tamen præter difficultatem, egredi licet: vt manifesto appareat, hac olim via subterranea, Baias ab Auerno commeari solitum. Res est equidem admirationis plena, qua ratione tot cuniculi cryptęque ferro potuerint excidi, silexque cęsus egeri, cum præter vltimum spiraculum, in tenebris opus omne paratum sit. Vtcunque aut Cymmeriorum habitationes, aut antiquorum vatū adyta, vel antrum Sibyllę, vel quiduis denique fuisse dicamus, certè res est cum arte sumptuque tum raritate mirabilis. Enimuerò non malè puto conijciemus hic olim Sibyllę Cumęę sedem fuisse, quòd id à Virgilio probari videatur, cum inquit: Excisum Euboicę latus ingens rupis in antrum.

LACVS ANIANVS.

ANIANVS Lacus, hodie, Lago Sudatorio, Aqua est, Puteolis vicina, vndiq; ripis altissimis, instar amphitheatri concluda. Fundū in ea deprehendi haud posse, Bocatius testis est: nihil præter ranas quicquam generat. Ad Septentrionem præcellam habet rupem toto saxo vestitam, ex qua primo vere tot serpentium conuoluti globi decidunt, & in aquas magno cum impetu prouoluuntur, vt absque vehementi admiratione spectari nequeant. Earum in stagno, quanquā summa frequentia delabantur, nullam omninò conspici, ac ne signum quidem aliquod, postquam aquas subiēre, locorum accolę confirmant.

CHARONEÆ SCROBES.

SPIRACVLA, in tractu Puteolano sunt, alij, Charoneas scrobes vocant, mortiferum spiritum exhalantes, Buco velenoso, nuncupat Leander in sua Italia, quod, antrum venenosum interpretatur. Scrobs est in rupē modicè excavata, nec lata, profundæ multum, posito signo, præmunita, ne quis eò proprius accedat, quòd exanimati repentè concidunt vltra procedentes, vt iniectis sæpè animalibus compertum fuit. Collapsum tamen intus animal, si protinus educatur, aspergine ex stagno aquę, vitales spiritus recuperat: sed auxilium ea in re, vel quauis alia, nullum est, si commoretur plusculum. Accolę Carolum VIII. Gallię Regem, cum Alfonsū Arragonium regno Neapolitano pepulisset, afinum injici iussisse narrant, qui & statim expirauerit.

SVDATORIVM S. GERMANI.

THERMÆ Anianę, vulgo Sudatorio, siue *le fumarole Agnano*, ad lacum Anianum in sinu Puteolano reperiuntur. Cellę quędam sunt, concameratę testudine, quarum solum, magna frequentia calidos emittit vapores, adeò, vt absque vestibis intranti, repentè sudor excutiat, vnde sudatoria quoque nominantur. Humores crudos euacuant, corpus vniuersum alleuant, languidos reficiunt, ilia sanant, intestina vlcera desiccant, & podagricis vehementer auxiliantur. D. Germanum Campanorū Antistitem animam Pascaij Cardinalis hic inuenisse, D. Gregorius in Dialogis commemorat, vnde & Sudatorium sancti Germani cognominatur.

OCCI DENS.

A.
Hic est Introitus Antri
Sibyllæ Cumanæ, quod vul-
go appellatur grotta della
Sibylla.

Hic olim fuere Triper-
gole, nunc mons novus, Anno
1538. tremotu conges-
sus, omnia texit.


VERGILIUS VI. ÆNEID.
EXCISV̄ EVBOICÆ LATVS IGËRVPIA IN ÆTRVM
QV̄O LATI DVCVNT ADITVS CENTV̄ OSTIA CËTV̄
VNDERVNT TOTIDË VOCES RESPONSA
SIBYLLÆ.

VERGILIUS VI. ÆNEIDOS
Quam super haud vllæ poterant impune volatus
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat
Vnde locum Graij dixerunt nomine
ΛΟΠΝΟΝ.

B.
Apollois Templi ab Inco-
lis hęc dicuntur esse ruine.

A. Ortelius et G. Hofnagius hunc
lacum hodie non esse Λόγρον
animaduertentes.

D.
Post hosce montes olim
fuit Capua, nunc pauca ap-
parent Vesuvia



ORI ENS.

ORI ENS.

A.
LACVS Agnia-
nus piscibus carens raris
ac serpentibus scatens.

B.
Charoneum antrum, siue
spiraculum, mortiferum ex
halans spiritum, quod vul-
go appellatur Grotta de
li cani reuivuum

C.
Sudatorium S. Germani
Vulgo dictum, sudatorio
siue le fumarole
Agnano

Vera
delimitatio lacus Ani-
ani, Antrig, letalis, In
montem facti non Ampli
nec longi: sed sensim In arc-
tum desinentis, In quod si
animal viuum Ingressum seu
Introuissum fuerit, subito mo-
ritur; Si tamen repente extra-
tum In subiectum lacum
proijciatur, paulatim ad
se redit ac reuiuiscit, In
canibus sepe fac fo
periculo.



OCCI

DENS.



FORVM VVLCANI.



FORVM Vulcani, Leandro Sulphuraria, ad finem ruinarum, quæ à Puteolis, Neapolitana via conspiciuntur, in Campania locus est, à conditione ac natura sic dictus; quem Strabo, Forum Vulcani nominat, cum id Puteolis imminere dicit, & campum esse planum, vndiq; flagrantibus sulphure collibus inclusum, atq; septum, vnde velut à fornacibus exhalationes cum ingenti fremitu proficiscuntur. Plinius hos ab antiquis campos Phlegræos ait appellatos, quod etiam probat Silius, inquiens: Illic quos sulphure pingues Phlegræi le gere sinus. Loci natura planè mirabilis est. Primùm aream habet oui forma prælongiore. extenditur enim fermè ped. M. D. sed in latum non amplius M. patet, vndiq; perpetuis altisq; collibus, ita tanquam opere conseptus, vt aditum vnum quæ spectat Puteolos, tantùm habeat. Solum areæ totum sulphure vestitum ibi spontè nato, quamobrè & incessu crepitat, cum sit cauernosum, vti vacua contactu solent omnia. In fine lata fossa, verius rotunda, quàm formæ alterius cuiusquam apparet, aquæ nigræ spissæq; plena, quæ perpetuò feruet, magnaq; vi, fumos ingentes emittit: qua de non solum vulgi fama est, sed etiam experimento compertum, quicquid immergatur, protinus educi cõctum, nunquam tamen non aliqua parte deficiente, quemadmodum ex Hieronymi Lini Bononiensis relatione habeo, qui quaternis in eam immisis ouis, tria se tantum eduxisse confirmavit. Non semper eodem in loco aqua, nec æquali magnitudine consistit, vti nos testari verè possumus. etenim post annos decem iterum hæc proficiscentes, parte fermè tertia minorem, quàm prima vice conspeximus: cuius rei causa spissitas aquæ est: concretescentibus enim sulphure ripis extremis, imminutio variatioq; contingit. Circa fossam vndique scrobes in solo conspiciuntur, ex quibus acutissimi vapores sulphurei, cum intento calore prodeunt. Hac in area multæ sunt officinæ, quibus album sulphur conficitur. Ad fossam, de qua diximus, equo periculosum est accedere, quòd omnia cauernosa ac infida voraginibus sint: & aliquando quendam spretis peritorum monitionibus, eò adequitantem, solo haustum absumptumq; ita, vt repenti spectantium oculis eximeretur, accolæ commemorant. De sulphure, quod hîc prouenit, ita Plinius: In Italia inuenitur sulphur in Neapolitano Campanoq; agro, collibus, qui vocantur Leucogabi, quod è cuniculis effossum, perficitur igni. Colles hi passim videntur flagrare, magnosq; fumos cum odore sulphureo emittere, qui per oram illam omnem, & vsque Neapolim ventorum flatibus defertur. Quanquam verò grauis atq; teter sit, ad fluxiones tamen & rheumata vehementer confert. Aqua quoq; sulphurariæ fosse, neruos emollit, visum acuit, lachrymas & vomitum comprimit, stomachi doloribus auxiliatur, fœcunditatem sterilibus conciliat, febres cum frigore pellit, & infecta scabie membra purgat. Colle transito, qui sulphurariam includit, ab Oriente conuallis est, vbi alumen conficitur. Modus est huiusmodi: Lapidès è monte Sulphurariâ cingente coquunt in fornacibus, eductosq; coaceruant, dein aquam certis ex puteis, qui hîc sunt, spatio dierum aliquot infundunt, & ad eò macerant, vt in cineres dissoluantur. Ex ijs cineribus lixiuum confectum lignea in vasa condunt, quod paulatim circum extremitates vnciæ plerunq; crassitudine, coit, atq; solidatur, instar crytalli vel glaciei, ferroq; diuellendum est. Hactenus

Leander.

ORIENS.


Mirabilem
 Sulphureorum Mo-
 tium Apud Putolos
 (campos Flegrcos Plin.
 Vulcano forum Strabo
 Vulgo nunc solfataria vo-
 cant Neapolitani) genuina
 accuratissimaq; ad Vinum
 depicta representatio

A.
 Ex horum mon-
 tium Terra ac lapidi-
 bus Sulphur conficitur.
 B.
 Ex hisce albicantibus magna
 sit copia aluminis.
 C.
 Aqua hic est perennis nigra as-
 pectu et crassa ita feruida ut
 ouum crudum intinctum
 coctum extrahatur: cu mare
 exestuat usq; ad 24.
 palmos ebullit sepe
 attollitur.



DVM EXPENDAR.





VILNA



VILNA, admodum populosa, ampla, & Episcopalis Lithuaniae, Ducatus illius magni, vrbs; indigenis, Vilenszki, Germanis autem vulgo, *Die Wilde* communicatum habet à flumine præterlabente, eiusdem appellationis, nomen; quod in Lithuania ortum, Niemen, fluuio coniunctum, Mari Prutenico miscetur, muro cincta & portis, quæ nunquã clauduntur. Domus in vniuersum sunt lignæ, depressæ, ac humiles, nec cubilibus, nec coquinis, imò nec stabulis, licet iumenta, & bestias complures alant, distinctæ, nec optimo etiam delectu collocatæ, certis quibusdam plateis exceptis, in quibus ab exteris nationibus, quæ commerciorum gratia, hanc urbem frequentant, lapideæ & elegantes constructæ sunt ædes, quibus Germanorum, & palatij vicus condecorantur. Regium est Vilna palatium, alterum admodum amplum, plana cœnaculorum structurâ celebre. Alterum, turribus in monte conspicuum, ad radices armamentarium habens, in quo machinæ bellicæ omnis generis non pauca videntur, cum tamen in vniuersa passim Lituania, nulla vllius metalli sectura, venæue reperiatur. Tempia sunt pleraq; lapidea, quædam etiam lignea. diuersis namq; diuersarum Religionum cultorib. sectæ suæ exercitium permittitur. Elegans est Bernardinorum cœnobium, secto ex lapide, venusta structura clarum. Quemadmodum & Rutenorum aula, in qua ipsi merces suas ex Moscouia allatas, distrahunt, vtpura luporum, vulpium, maximè albarum, Martrum, Zabelarum, Hermilinarum, Leopardorum, & nobilissimas id genus alias pelles. Fontes diuersis in plateis habent, ad publicos oppidanorum vsus varios, omnes tamen eodem ex capite, iuxta Germanorum portâ cõstituto, deriuatos. Suburbia non sunt, quemadmodum in urbibus benè cõstitutis, varia, diuersis discreta nominibus, sed vno & perpetuo quodam suburbio septa, & circumuallata Vilna conspicitur, vbi infinitus ædicularum numerus, nullo delectu, nullo platearum ordine, sed pro agresti barbarorum voluntate, prout fors & occasio tulit, quasi constitus videtur. Alibi namq; casas hæc suas, ex pinorum aliquot trabibus, rudi structura cõpactas, huc deferunt, & quò libuerit, indiscriminatim collocant. Extra portam, quæ regiam respicit arcem, dimidiato à Vilna milliari, Sigismundus Rex, domum regiam illam quidam, sed totam ligneam, ab vrbaniis curis recessui, & recreationi construxit, cum nemusculo, & viuario, in quo omnis generis feræ, sumptu permagno aluntur; vulgo, *V Versupa*, id est, iuxta aquas, quibus vicina est, dicitur. Vilnensis porro populus, & quotquot itidem suburbanas incolunt casas, agrestis sunt, seruilisque ingenij, artibus plane nullis, aut liberalibus disciplinis culti, nec isdem dediti, inertes, desides, ac ignaui, libertate nulla fruuntur, sed serui sunt, & mancipiorum instar, à nobilitate habentur. Quo etiam ipsi genere vitæ (auditu mirum) delectari videntur. Dominos namque suos, tum primum amant, ipsiq; multo fidelius & promptius obsequia præstant, si verbis verberibusq; immitius tractentur ac durius. Ita, vt heros suos, à quibus non egregiè vapulant, tanquam eos, qui moribus ipsos bonis non imbuant, aut, qui minus propenso erga ipsos sint animo, deserant. Vno licet careant, poculis tamen indulgent, & genio. Medo ipsis, & cereuisia potus est, frequentissimus vini adusti, cepe, & allij vsus, in domibus suis, perpetuo fumo oppletis, (non enim vlla fumibula habent) videndi ipsis aciem adimit, vt non alibi plures, quàm in hac vrbe, cæci sint homines. Nullus in ædibus ipsorum ornatus, nec pretiosa videtur supellex. Videas parentes cum liberis, iumentis, ac bestijs ad focum eodem in hypocausto fœtido agere, vbi & hospitis coniux puerpera, duro incumbat scamno, & tertio, aut quarto puerperij die, grauissimos & domi & foris sustineat labores. Nullus in tota hac vrbe lectorũ vsus. Imò, molliter cubare vitio datur. Multum est, si ditiores vtantur scamno vrsina tantum pelle, contacto. Nec melior, aut ciuilitate præstantium conditio est, nisi, quod præstantiore vestitu, multoque argento & auro, quo onusti, depicti que incedunt, nobilitatem suam ostentent. Ciues, vxores suas splendidius vestiri gaudent: vilissimus rusticorum omnium, eiusdemq; coloris ac formæ est habitus. Nulla in ampla hac vrbe sunt Xenodochia nulla paupertate afflictis assignata loca, vbi misericordiæ refoucantur operibus. Medone, vino adusto, aut crassa cereuisia temulenti, ac madidi, rixantur ac litigant, mutuis sese vulneribus conficiunt, & immaniter verberant. si occidant extraneum, capitale non est, sed decem & sex daleris vitam tunc redimunt; Secus, si Lithuanum interimant. tum namque, si homicidam fugâ elabi contingat, propinqui, & cognati occisi, cadauer aromatibus condunt, vt inhumatum conseruari queat, quò, si homicidam elapsum, capi contingat, exanimus ipsi corpus exhibeant, alioqui, mortis supplicium ab ipso sumi nõ possit. Si autem quempiam occisum, ante captum homicidam, sepeliri contingat, capitale nõ est, nec pecuniariâ etiam multa punitur id factum, sed patratore facinoris captus, virgis ceditur. In suburbijs, Tartari, vt plurimum habitant, cultores agrorum, aurigæ, & baiuli, quorum operâ hyeme mercatores vtuntur, vt capentis suis, vicina in loca auchantur. neq; enim alio, quàm hyemali tempore, ad hanc urbem accessus, vel recessus patet, eò, quod vniuersa Lithuania paludibus impedita sit, ac syluis horrida, hyeme autem, paludibus & stagnis alta glacie concretis, niueq; superinfusa, peruia sunt, non trita, & vsitata, sed, quæ syderum vsus suppeditauerit, itinera. Iumenta autem, quorum operâ vtuntur, eadem sunt, qua aurigæ, feritate robusta. Illi pane vtuntur retro, allio, & victu admodum vili, & scamnum aut saxum aliquod, puluilli loco, deligunt. Hæc, stramentorum vsus ignorant. defatigata, vestitum, & niue contactum abiguntur in nemus, vbi vngula, ad abditum niue pabulum, viam sibi, & aditum parant. Tartari autem aurigæ, sedulam mercatoribus, quibuscunq; etiam exteris, fidem præbent. Nisi etenim scriptum fidei, diligentia, & probitatis testimonium, ab his, quos abduxerunt, ad dominos suos, quorum serui sunt, referant, præsentissimum ipsos manet suspendium. Religionẽ in hac vrbe miram profitentur. Missam in templis, magna deuotione audiunt: vbi Sacerdotem, ante velum extensum sacris operantem obseruant, quod quidem velum, vbi quandoq; reuoluitur, dictu mirum, quanta deuotione, non pectora tantum, sed & ora contundant. Quibus nocte præcedenti, matrimonij vel concubitus illiciti, vsus fuit, illi, religione commoti, eo die non ingrediuntur ecclesiam, sed foris subsistentes in porticu, per factum in muro foramen, sacrificantem conspiciunt. Atq; tanto quidem rigore eam consuetudinem obseruant, vt hac religione, adolescentuli lasciuientes, & constupratæ cognoscantur iuuenulæ. Frequẽtes habent certis temporibus stationes, & peripherias sanctorũ, quibus SS. Pauli & Nicolai, quem vnice venerantur & colunt, imagines circumferunt; populus verò, in eiusmodi Processionibus frequens, crepidas, aut par calceorũ in capitibus gestant, quo summam sese nobilib. seruitutẽ debere, profitentur. Viliores habent calceos plebei, ditiores verò, auro, & serico ornatos. Cũ morte, à seruitute hac dura, qua ipsi tamen se miseros nesciunt, liberantur, benè vestiti, & nummis, tanquam viatico, instructi, sepulturæ mandantur, cũ literis abs cognatis, & his, quib. in vita chari fuerunt, ad D. Petrum conscriptis, quib. ipsi tanquã Ianitori celi, cõmendantur, vt facilis ad cœlestia gaudia cognatis suis defunctis pateat aditus. Has, & pleraq; alias superstitiones, etiãnum Christiana religione imbuti, obseruant, vt mirum non sit, prisca ipsos temporibus, serpentes, solem, malleos & ignem, pro dijs pœnatibus, coluisse, & adorasse.

VILNA LITVANIAE Metropolis.



- | | | | |
|-------------------------------|----------------------------|--------------------------|---------------------|
| 1. Das hohe Slochs. | 8. Der Lucerne. | 15. Das Wieweten haus. | 22. Die Keur kaffe. |
| 2. Das Slochs | 9. Das Deutsch haus | 16. Das Bischops haus. | 23. Die Stützge. |
| 3. Die jonger Königinne haus. | 10. Das Trabanten haus. | 17. Der Griech kirche. | 24. S. Iohan gesse. |
| 4. Die Slochs kirche. | 11. Die Wersoye | 18. Das Alathaus. | 25. Der Clerken |
| 5. S. Barbara kirch. | 12. Die bernardiner clost: | 19. Das Alackowiten hoff | 26. Clarkens dor. |
| 6. Der Schatzmeister haus. | 13. Die Cancellie. | 20. Die schwarze münche. | 27. Die dr garde. |
| 7. Der König stall. | 14. S. Iohan kirche. | 21. Das hospital. | 28. Vber wasser. |



LIBRI III. DE PRAECIPVIS, TOTIVS VNIVERSI VRBIBVS, INDEX.

GEORGIVS BRAVN, LECTORI, S. D.

*Q*uam in prioribus urbium Tomis, haecenus rationem obseruauimus, candidè Lector, eandem & in hac tertij editione tenere decreuimus, ut, dum in operis fine, depictarum urbium Alphabetarium ordinem exhibemus, Indicem simul, & auctarium demus, in quo, quam ob loci angustiam in ipso urbium dorso historicam enarrationem complecti minus integrè potuimus, in fine & Indice, liberiore calamo referamus, quo paulo plura historiarum amantes haberent, quibus auidam, & laudabilem sitim sedare queant. Accipe igitur labores hos nostros, quibus benè faueto, fruere, & vale.

A.

- 9. ACCVSIANORVM Colonia.
- 56. AENARIA Insula.
- 55. AETA vide Caieta.
- 57. AGNIANVS lacus.
- 41. ALBARESTADIVM.
- 52. ALBVNEA fons.
- 16. ALIZONTIA.
- 47. ANASIANVM, Opp.
- 57. ANTRVM Charoneum.
- 57. ANTRVM Sybillæ Cumanæ.
- 54. ANXVR, lingua Volscorum, quæ Latinis Terracina, Latij oppidum. Hoc prius Trachina dictum fuit, ut scribit Strabo. AXVR, in numismate Vibij Pansa legitur. Terracinâ etiamnum nominari, tradunt Leander, & cæteri.
- ARX antiquissima vltra Terracinam, in Appia reperitur, inter altissimam rupem, & Mare, loco perangusto munitoq;.
- Est ibi habitatio, in Saxum eminentiori excisa loco, vbi praefidium ad itineris, propter angustias, tutelam, in statione degit. Accolæ, ciuitatis arcem appellant. Locum hunc eum esse putat Leander, ad quem muniendum, Liuius à Fabio Dictatore, Minutium missum, infra Terracinam ad mare, narrat, ut Hannibalem ibi Appiæ viæ transitu in agrum Romanum prohiberet.
- AMP HITHEATRV M, in hoc aspero môte, forma quadrata, prope monasterium S. Angeli, quod môtî vicinum est, cernitur, cuiusmodi sane nullum aliud adhuc, curiosis antiquitatum indagatoribus visum est.
- 17. AREVACVM.
- 56. ARIME, Insula.
- 17. ARNHEMIVM, vnum ex præcipuis Geldrici ducatus oppidis, beneficio Reinaldi, qui vltimus Geldrici Comes fuit, ius cudendi monetam obtinuit. Iuxta Arnhemium, elegans est Carthusianorum cœnobium, Münch hausen Vulgò, à Reinaldo, primo Geldrici Duce, fundatum, vbi etiam anno salutis 1343, sepultus fuit. Is etiam Canonicorum D. VValburgis collegium ex oppido Tilensi Arnhemium transtulit, ob contentiones & frequentes iniurias, quibus Tilenses Tilani ciues canonicos affecere.
- 54. APPIA via.
- 22. ATREBATVM, Artesiæ Metropolis, quam Iacobus Meierus Annalium Flandricarum lib. xv. Scutum, vallum, ac murum totius occidentalis Flandriæ nominat. Bipartito, peculiari murorum ambitu, diuisa est. Pars altera episcopo, altera, Principi adscribitur. Illa, pulchra aspectu, sed minor, magna Cathedrali ecclesia D. Virgini sacra, celebris est. In qua permultis libris manu scriptis instructa Theologica Bibliotheca videtur. Hæc autem, multo amplior, pulcherrimarum ædium nitore, platearum latitudine, & foro imprimis spaciofo, commendabilem se reddit: quinetiam Abbatia D. Vedasto nuncupata, quæ opum magnificentia, reliquas monachorum societates superat, Aedes ciuium, præter commoditates alias,

vinarias cellas longe maximas, & amplissimas habent, quæ obsidionis & necessitatis tempore, incolis sunt latibulo.

26. AVENIAE.

10. AVGVSTODVNVM, Heduarum Metropolis, ab antiquitate commendata, an eadem sit, quam Cæsar Bibracte vocat, quamq; ipse inter Heduos populosissimam & magnitudine præcipuam facit, atq; ab ipsis Gallis, ne Romanis belli vsum præstaret, incensam refert, alij, rationibus haud contemnendis commoti, negant; alij affirmant. Petrus sancto Iulianus, apud Cabillonios Canonicorum Decurio, ingenij subtilitate, rara doctrina, & vniuersæ antiquitatis cognitione præstantissimus, de historica hac contouersia, ea, quæ sequitur, refert. Nonnulli, inquit, vocum etymologiam, & veluti collationem secuti, discesserunt in sententiam, vulgatam magis, quæ rationi consentaneam, Bibracte Cæsari adpellatum esse, quam urbem hodie Galli Beuureum, à bibendo, ut adparet, dicunt. Sed cum Beurei tam potentis, atq; opulentæ ciuitatis, quam Bibracte olim fuisse constat, argumentum se offerat nullum; Augustodunum contra, tot antiquitatis notis insigne est, ut videatur iudicij errore se oblectare, qui rem veterum etiam iudicio, ac sententia comprobata, negat. Et verò, qui Augustodunum à Bibracte diuersum esse autumant, longe falluntur, quasi protinus, ut Cæsar vita excesserit, Augustodunum vna veluti nocte & conditum sit, & nomen acceperit. Ammianus certè Marcellinus, muros Augustodunenses antiquissimos vocat, non ita vocaturus, si non ante perdomitas à Iulio Cæsare Gallias, extitisset. Neq; verò quisquam negat, Cabilloni horreum fuisse alendis Heduzæ regionis præsidij, & quia difficilior esset, ruptis frequenti vectura itineribus, commeatus, atq; annonæ importatio, Cæsarem aggeribus à Cabillono Bibracte vsq; excitatis, viam muniuisse. Atq; horum facte aggerum reliquias etiamnum videas rectè Cabillono Augustodunum pertinere, ut ipsi quoq; lapides, rei, quam probatam volumus, fidem abunde faciant. Ad hæc, cum narret Cornelius Tacitus, apud Heduos belli vim tanto maiorem fuisse, quòd eorum ciuitas, ut erat amplissima, ita expugnationem haberet difficilem, cum quidam sacrouir Augustodunum regionis caput, occupasset, utiq; notii isti, quos faciunt, huius vrbs conditores, nūquam eò confidentiæ progressi fuissent, ut Augustum de suo nomine, quod sacro sanctum à Romanis habitum, nō alijs urbibus, quàm quæ Prouinciarum Principes essent, concedebatur, vrbi recenti, & modò natæ imponendo rogarent. Earum certè urbium exempla sunt Cæsaraugusta in Celtiberis, quos hodie Aragonas vocant, Augusta Taurinensis, nunc Turinum, Allobrogum caput, aliq; non pauca. Ea igitur ciuitas, Bibracte Cæsari fuit, quam hodie Augustodunum adpellamus, ipsius re vera Cæsaris culpa, & factionibus vastata, ut cuncti ille facto colorem quærens, in alios culpam reiecerit. Inde ab Augusto restaurata, & à Flauijs, Claudij Cæsaris genere, (nam à Claudio Flauiorum originem deducit Panegyricæ illius orationis ad Constantinum author) multis aucta beneficijs, etiam Flauianæ familiæ nomen tulit. Itaq; Panegyricus ille orator, Bibracte, inquit, ad hoc æui Iulia, Pollia, Florentia dicta, hodie Flauia nuncupatur, Heduarum Gentis caput.

† Quo

Quo in loco illud venit in mentem querere, vbi tandem legatur, Benureum Heduorum fuisse caput? sed neq; in eam dignitatem Bibracti antiquo, alia successit vrbs, quam cuius meminit Panegyricus, Maximiniانو, qui ante Constantinū Magnum Gallijs cum imperio præerat, nuncupatus, quam & nostrum Augustodunum esse constat. Sunt autem hæc Panegyrici verba: Quin & ipsa hæc ciuitas, cuius potissimum nomine mihi gaudendum censeo, hæc, inquam, animo erga te propensissima Heduorum ciuitas, ea victoria, quam ex Britannis retulisti, multos artifices, quibus abundat ea Prouincia, tuo munere consequuta, nunc quidem antiquarum ædium, publicarum substructionum, & templorum instauratione, ad pristinā redit & pulchritudinem, & dignitatem. In eo verò, quem superius allegauimus, ad Constantinum Magnum Flauiae gentis Panegyrico, hæc insunt verba: Itaq; ob egregia officia, & antiqua merita, diuinus ille tuus pater voluit iacentem Heduorū ciuitatem restituere, idq; vt præstaret, non tantum pecuniarū vim elargitus est, restaurandis propugnaculis, theatris, balneis, verum etiam nouis habitationibus accersendis, vt sola hæc esset Prouinciarum caput ac Metropolis. Vt unq; autem Panegyricus hic orator, siue is Eumenias est, siue alius, hæc corā Imperatore ad gratiam loquutus sit, hinc tamen colligimus, Augustodunum Heduorum id temporis Metropolin, non aliud esse, quam Bibracte, quod eiusdem Gentis caput Cæsar agnoscit. Atq; vt huiusce probationis finem aliquando faciam, adducam Ammiani Marcellini verba, quibus de Iuliano, cui Apostata nomen, commemorans, Augustoduni maximā antiquitatem ostendit. Cæsar, inquit, cum in ea vrbe hyemem ageret (Viennam intelligit) inter cæteros, qui quotidie dissipantur, rumores, intellexit, in Augustodunenses muros, qui magnum cōplecterentur spaciū, & vetustate nimia exoli, corruptiq; essent, à Barbaris subitas fieri impresiones. Vides vt murorum huius vrbs nimiam vetustatem prædicet, nullam tum certe futuram, si temporibus primum Augusti, vrbs ea condita, in id Iuliani tempus stetit. Neq; enim ab eius conditione plus tum quadringentis annis exactum esse poterat, quæ nimia, in ædificio, vetustas, esse non potest. Quo fit, vt ea vetustas à multis retro sæculis, atq; adeò, à primis Gallorum temporibus, repetenda sit, vt proinde tam vetusti vrbs muri, ruinarum Bibractis reliquæ fuerint. Huc deniq; illud, pro inuincibili argumento addam. Quòd, nisi Augustodunum Heduarum regionis caput fuisset, nunquam illic primi Christiani Heduorum Episcopi sedem fixissent, cum præsertim & Cabillonum, & Matiscon, in eadem tum regione essent, atq; in ea semper Gentis Episcopos cathedram habuisse, vetera scriptorum monumenta declarent. Sed hæc, de Historiæ ista contentione, & Augustoduni antiquitate, dignitateq; nimis fortasse, pro ratione loci, multa. Qui plura cū de antiquo, tum de præfenti Augustoduni statu desiderat, is, præter Belloforesti historiam, Gulielmum etiam Paradinum consulat.

57. A V E R N V S, Lacus Campaniæ, Plinio, Græcis, ἀρνός, dicitur, vt Strabo attestatur. Lago di Tripergola vocatur ab Erythrao & Georgio Fabricio. S T Y G A quondam appellatum, ex hoc loco Silij apparet, lib. xij. Ille olim populus dictū Styga, nomine verso, Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Auernum. Appellationis etymon hinc esse existimat Nonius, quòd aues superuolantes odoris eius grauitate conciderent enecatæ. dictum enim Auernum, tanquā ἀρνός, vnde Lucetius inquit:

*Principio quod Auerna vocant, non nomen id ab re
Impositum est, quia sunt aibus contraria cunctis.*

Idem confirmat Seruius in hoc Vergilij loco: Diuinosaq; lacus: Lucrinum & Auernum Lacus esse scribens. Auernum autē antea dēfite sylvarum ita consēptū, vt inde per angustias odor aquæ sulphureæ grauisissimus exhalans, aues superuolantes enecaret, vnde Auernus appellatus sit, tanquam ἀρνός. Philostratus etiam Auernum vocari locum quendam prope Nisam tradit, quòd aues ad se trahat. Adijcit autem Seruius, Augustum Cæsarem, ea re intellecta, syluis deiectis, è pestilētibus, amœna hæc reddidisse loca. Virgilius eandem Auerni nominis etymologiam his versibus describit:

*Inde vbi venere ad fauces graueolentis Auerni,
Tollunt se celeres. Et infra:*

*Quam super haud vlla poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens, super a ad connexa ferebat:*

Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.

Alijs præterea locis Auerni mentionem facit Virgilius, quò tamen exactius in hanc sententiam describit Strabo. Auernus & aditu & fundo, sinus est opportunus, atq; tam amplitudine quam natura loci portus commodissimus, vsu tamen non frequentatus, quoniam portus illi Lucrinus præiacet. Rupes eū arduæ, præterquam ad ostium, vndiq; circumplectuntur, hoc tempore cultu diligenti peramœnæ, quanquam olim horridis omnia saltibus occupata, ideoq; prorsus inania fuerint: vnde lacu densitate nemorum obscurato, religionis opinio accebat. Apud accolos quoq; fama erat, aues superuolantes spiritus exhalantis grauitate exanimatas, in eum decidere, tanquam ad Plutonem abriperentur, indeq; Stagnum Plutoni sacrum, habitū: quinetiam vicinos illi Cymmerios fuisse, apud quos peractis ritè sacris, placatisq; Dijs Manibus, ad inferos descensus esset, sacerdotes enim in ea gente duces itineris ad Plutonem extitisse: quapropter & oraculū eo loco fuit. fons etiam ibi prorumpens in mare defluebat, à cuius vsu regionis incolæ, quòd Stygias aquas arbitrarentur, abstinebāt, ob propinquas enim feruentium vndarum scæurigenes, & paludē Acherusiam Phlegetontem esse existimabant. Ita ferè Strabo. Cymmerios autem vicinos huic Stagno fuisse, nimirum in illis specubus antea descriptis, quorum introitus ad Auernum spectat, habitantes, tum ex hac Strabonis narratione constat, tum etiam à Plinio traditur, qui gentis eius oppidum, ad Auernum lacum extitisse auctor est. Adijcit etiam Strabo, maiorum opinione (quòd ab Homero quoque proditum sit, et si fabula sibi videatur) Manium vaticinationes in Auerno fuisse, & Vlyssē etiam ad id oraculum profectum. Arthemidorus docet, Auernum lacum poetis celebratissimum, paludem Acherusiam esse, cuius mentionem sæpè facit Virgilius, & nominatim his versibus: Vnum oro, quando hic inferni ianua Regis dicitur, & tenebrosa palus Acherōte refuso: in quorū expositione Seruius Auernū lacū ait à poeta describi, quē Acheron, inferorū fluuius efficit, ita dictus tanq; ἀχαιος, id est, sine gaudio: sed eū locū reuera non procul abesse à Baijs, montibus autem adeò conclusum, vt nec orientem, nec occidentē, sed meridianum solem tantum aspiciat. Ita Seruius. Ad hanc paludē homines olim immolari solitos, indicat Homerus, Elpenorē apud eam ab Vlyssē mactatū Orco, itemq; Misenum ab Aenea memorans. Quamquam verò Misenum fato suo functum, in aliorum monumentis reperiatur, tamen ab Aenea cæsum immolatumq; verum est. Et Elpenorem in vltimis Oceani partibus mactatum, Homeris figmentum esse sciri oportet, quoniā loci descriptæ circumstantiæ, manifesto cōuincunt, id hic ad Auernū accidisse. Ad eiusmodi porrò immania sacrificia, speluncis cauernisq; subterraneis, præsertim horrendo illo Sibyllæantro, locum hunc peropportunum fuisse, nemo non intelligit.

6. A V R E L I A, Orleans, Villa nouano, in Gallia Lugdunēsi eius Gentis, quæ Aulerci & Eburones cognominatur, vrbs florentissima, loco admodum opportuno sita, diues, ciuibus armis exercitatisimis, potens, munita, non in Gallia tantum, sed vniuersa etiam Europa clarissima. De memorabili, post omnium hominum memoriam, eius obsidione, qua Carolo sexto eius nominis rege, Anno 1428. ab Anglis cincta fuit, & miraculosè abs Ioanna Virgine, belli duce liberata, vide benigne Lector, integrum libellum Ioannis Lodoici Micquelli Aurelianensis, ad Carolum Lotharingum Cardinalem. res enim paucis pro istius loci ratione, recenserī non potest. In eius liberationis perpetuam memoriam, octauo die Maij, quo tantis, totus vrbs Magistratus, vniuersa plebs, & omnes Ecclesiasticorum ordines, vniuersali processione, gratulabūdi, obire ciuitatem consueuerunt. Reges hīc quoq; aliquot inauguratos, quemadmodum Rhemis fieri consueuit, historiarum Scripta testantur. Episcopum etiam singularem habet, quem de suo nomine Aurelianensem dicunt, non solum sedis antiquitate, sed maiorum etiam sanctitate in Gallicana ecclesia celeberrimum. Childeberto Galliarum rege, fulgure cælitus tacta, tota ferè conflagrata. Nostro tempore, bello ciuili miserum in modum iactata est, ab Hugenois prodicione capta aliquandiu, multis in ea deformatis, & aliquot ecclesijs dirutis, in eorū potestate mansit, postea abs Rege recuperata est. Franciscus Guyfius, insignis belli Dux, à Ioanne Poltrotio, latrone nefario, globo tormentario traiectus, hīc occubuit. Qui plura de hac vrbe desiderat, legat Franciscum Belleforestium, & Leonem Trepautium, Senatorem Aurelianensem, qui & peculiariter

INDEX.

culiarem de patria sua libellum conscripfit.
8. AVTRICVM.

B.

47. BADA CVM, vide Salszburgum.
56. BAIANVM castrum.
56. BAIANA Fricatoria; vide Trituli Balneum in Indic.
56. BAIANA, L. Luculli villa.
56. BAIANVS Sinus; vide Sinus Baianus in Indice.
56. BALNEVM Ciceronianum.
56. Balneum Trituli, vide Trituli Balneum, in Indice.
56. Bauli Herculis templū; vide Herculis Bauli, &c. In Indice.
26. BELLOMONTIVM.
74. BERGA ad Soomam, hilaris, festiuæq; Brabantiaë limi-
taneum quasi oppidum, qua ista Belgarum regio, occidentem
versus, Zelandiam respicit, à qua Scaldi separatur. Cuius qui-
dem fluminis, quæ admodum & maris vicinitate, situs etiam,
aërisq; benignitate tam multis comoditatibus Berga gaudet,
vt nobilium, & præstantium opum affluentia, hominum, vt
plurimū sit oblectationis, otij, & tranquillitatis recessus. Soo-
ma etiam flu. alluitur, qui isthinc non ita procul ortus, dimi-
dio ferè miliari longus, à Scaldi, amisso nomine, recipitur.
46. BOIODVRVM.
39. Bonifacius, quorum in Germania Apostolus.
Bremenium Colonia, Riga. Vide Rigam in Indice.
2. BRISTOLIA, celebre post Londinum in Anglia Empo-
riū, à multis diuersarum orbis nationum mercatoribus, fre-
quentatum, aquis, quæ onerarias ex mari naues eò deferant,
infructum. Situs id ratio præstat, vt trinq; siquidem montibus
clauditur, vt fluuius, cui adiacet, marinis cœtibus auctus, non
possit in latum diffluere, sed ad sexaginta sex pedes intu me-
cat. Oppidum ipsum admodum est nitidum ac elegans: nullus
in eo carrucarum vsus, nullæ in plateis sordes, sed omnis per
subterraneos ductus atq; canales immūdia diffluit. Pulchre
sunt ecclesiæ, Cœmiteria spaciofa. Apud D. Iacobi ecclesiā vi-
mus, tantæ magnitudinis conspicitur, vt truncum octo vlna-
rum filo, vix comprehendas. Quondam Episcopalis hic sedes
fuit, nunc Episcopo Glocestriensi subest.

C.

9. CABALLONIORVM Colonia.
55. CAIETA, vel, vt Strabo legit, Caiatta, etiam Aeta, teste
Diodoro Siculo, hodie Gaietta nuncupatur. Campaniæ in I-
talia fœlicis, portus est iucundissimus, naturali situ, munitus,
vt expugnari vix queat. Dura obsidione Anno salutis 1288.
abs Iacobo Siciliae Rege, Anno etiam 1435. decem mensium
obsidione ab Alfonso, Aragonum, & Siciliae Rege, sed frustra
tentatus.
35. CAMANNI.
56. Camerellæ centum.
34. CAMPENA.
35. CANENEFATVM Insula.
26. CARLOMONTIVM.
8. CARNVTVM.
52. CATARACTA.
3. CESTRIA, Comitatus Cestrensis, siue Deuani, in Anglia
vrbs primaria, quæ à Legionibus Romanorum ibidem hie-
mantibus, in hunc diem à Britanis, Caer lleon ar dour Dovv.
id est, ciuitas Legionum super aquam Deæ, ad differentiam
alterius eiusdem nominis ciuitatis super Oiscam fluuium di-
citur. Ex Antonino patet, hanc olim Deuam dictam à Latinis
fuisse, à fluuio, quem nos Dour dovv, id est, aquam Dei voca-
mus. Angli, hanc Legancestre, & postea, detruncato vocabu-
lo, Cester, dixere, ciuesq; gloriantur, se habere corpus Henrici
quarti Imperatoris, quem affirmant abdicato Imperio, ere-
miticam vitam illic duxisse. Nec aliter de Heraldo, vltimo
Danici sanguinis rege, credunt.
57. CHARONEAE Scrobes, siue Antrum Charoneum, vul-
gò Grotta de li cani, spiraculum, mortiferum exhalans spiri-
tum. Nam loca pestilentis halitus cum multa reperiantur, ad
cautelam idcirco, propalandamq; accessus difficultatem, factū
videtur, vt alio, vel alio nomine horribili nuncupentur. Qua-

les leguntur apud Strabonem & alios Græcos, Charoneæ Scro-
bes; quasi Charoneas ianuas dixerint, seu Charontis cymbam,
quas semel ingressi, irreuocabili iudicio damnati, ac despe-
rati omninò lucis intelligerentur. Et Plutonia spiramenta, à
Plutone, vnde oriri putantur, sic dicta. Cui vulgaris adhuc af-
sentit credulitas, hæc ora esse inferni: & quidam fabulantur
præesse metallis, ac thesauris dæmonas fatales, qui illorum cu-
stodix adhibiti (vt dicunt) acutissimo sibilo subitarium acce-
dentibus venenum illidant animæ, quæ antiqua est Pselli, &
quorundam aliorum Platonicorum persuasio. Re vera tamē
id referendum videtur, vel suffocatis in occultis terræ ca-
uernis ignium vaporibus: vel metallorum virulentia in me-
tallis suis, quæ aut excessiua qualitate vaporis crassissimi,
aut alio, qui tota substantia humanæ naturæ aduersantur.
Quam contagionis naturalem causam tetigit quoq; Lucreti-
us, ex eo, quòd in sulphurarijs metallis, & in bituminosis, ma-
ximè verò in venis auri, atq; argenti, statim operarij squalorē
mortis concipiant, ac breui spacio tabidi, intereant. Et cū mul-
ta id genus loca is sub Auernis commemoraret, subdit:

*In Syria quoq; fertur idem locus esse videri,
Quadrupes vbi, quo simul ac vestigia primum
Intulerint, grauius vis cogat concidere ipsa.*

Talem in Phrygia Specum meminit Strabo iuxta Hierapo-
lim, quod os Plutonium appellatur, crassam caliginem, ac ha-
litum ad eò pestiferum exhalas, vt immisos experimenti gra-
tia passerculos, mortuos illico extraxerit. Similis in Cilicia
vtra Coryceum specum, quem Typhoneum vocant, Pompo-
nio Melae auctore. Et item alius apud Babylonem, quæ abun-
dat bitumine. Alius in Cariz via, quæ est ad Tralleis, & Nisam
prope Acaracam oppidam, Strabone. Alius in Lycia ad Sardis
pagum, Galeno, qui & specum in Ionia scribit ad Tymbriam
pagum prope oppidum Myunta, qui lethales expirationes
mittit.

8. CHARTRES, oppidum Regionis, in Gallia, Carnutē-
sis, celeberrimum. quæ in Gallia Celtica duobus fluuijs, Se-
quana & Ligeri intercepta est, prima fuit, in qua, ob ipsius a-
mœnitatem & solum fertile, Noe filij sedem fixerunt, in qua
& Druidæ quondam præter causarum naturalium studia, mo-
ralem quoque disciplinam exercebant, & quia omnium opi-
nionem iustissimi, id eò & priuata & publica iudicia ipsorum fi-
dei demandabantur. ad eò, vt rem etiam bellicam antea iudi-
carent, & Martem collaturi, illis iubentibus desisterent: ca-
pitis quoq; iudicia horum sententia permitterentur. De ho-
rum autem secta & moribus, Cæsar lib. 6. commentariorum
plura. Cæterum, apud Carnutenes olim, tametsi ad Druides
omnia maioris momenti negotia referebantur, Res tamen
pub. per vnum principem gerebatur, vt ex Cæsare licet cog-
noscere, qui lib. 5. commentariorum, Erat, inquit, in Carnuti-
bus summo loco natus Tasgetus, cuius maiores in sua ciuita-
te regnum obtinuerant: huic Cæsar pro eius virtute, atq; in se
benevolentia, quòd in omnibus bellis singulari eius opera
fuerat vsus, maiorem locum restituerat, &c. Verum post hu-
ius Tasgeti mortem, nusquam legas, fuisse vllos Carnutum
reges. cum enim Romani toti Gallia imperarent, nullum in
ea passim principem, nisi quem ipsi constituerent. Ecclesiæ
tamen Carnutensis monumenta, de nonnullis tradunt prin-
cipibus, qui Comitum titulo Rempub. in ea vrbe gesserint,
ante, quàm etiam Galli Christo nomen dedissent. Huius por-
rò Carnutensis vrbs inhabitatores, Druidum sapientia imbu-
ti, multo amplius, quàm vlli alij Gallia populi, ac præcipuè
ipsorum Comitæ & reguli, qui rebus in ea gente, ante, quam
Cæsar Gallias detinisset, præerant, persuasum habebant, na-
scituram olim in terris virginem, quæ partum vniuerso ho-
minum generi salutarem ederet. hæc de futura virgine conce-
pta religio, in causa fuit, cur Comes, nomine Priscus, inter
Ethnicorum simulachra signum statuerit virginis, puerum
vlnarum complexu tenentis, eiq; sacrum fecerit, vt & Augu-
stum Cæsarem, posteaquam virginis illius, quæ Deum nobis
peperit, imaginem, demonstrante Sibylla, conspexisset, fecisse
tradunt. Religio, qua erga hoc simulachrum virgineum tene-
batur Comes ille Carnutum, reliquos etiam Carnutes, vt idē
facerent, induxit: & Montilerij Princeps Gaufridus, Carnutū
comitis cliens, certior factus, quo in honore suus patronus
virginem illam futuram haberet, ad eius etiam cultum sese
contulit. Ex eo deinde consequutum est, vt viri illi Principes
virgini illi, haud dum etiam in mundum editæ, templum sta-
tuerent,

INDEX.

ruerent, & donaria permulta offerrent, indies etiam eius templi virginei censum augentes, id autem templum, vbi religione Christiana fuerunt imbuti, in B. Mariæ virginis collegium est mutatum, & hoc etiam tempore, huic vrbi singulari ornamento.

8. CHASTEAVDVNUM, siue Castrodunum, ita enim Gregorius Turonensis oppidum peraugustum, amœnum, & naturali situ firmum, Comitatus titulo, dignitateq; præstans, qui hinc senatum, & æquissimorum iudicum consistorium habet, alia sub se quinque Senatorum collegia comprehendentem, Gens in hac vrbe ingeniosa, acuta, subtilis, & quæ, quod dictum velis, verbo statim capiat, eadem pauci sermonis, & magnæ breuiloquentiæ, quæ res & sapientiam eius satis indicat, & La cedæmonios olim præ cæteris Græciæ populis maxime commendauit, & sermo quidem gentis satis proprius, & purus, sed ita sunt, vel breuiloquentiæ appetentes, vel tum in apprehendendo celeres, tum ad efferendum, quod sentiant, expediti, vt ne moram quidem ferant audiendi, quoad is, qui cum loquuntur, sermonem absoluerit, quem nondum finitum excipiant atque interrumpant. Quod gentis naturale vitium prouerbio locum fecit, quo siue damnetur ea respondendi præcipitantiâ, siue laudetur expedita ingenij promptitudo, dici solet, Castrodunus est, intelligit dimidiato verbo. Vicinus vrbi ager fecundus est, & ferax, prout ingenium est regionum, ad quas pertinet. Quæ enim ad Perchios vergit, syluæ sunt, nemora, saltus, pascua, lacus. Itaque pecorum illic & armentorum vis magna. At Aureliam versus, offerunt se vineta, & frumenti segetes; præterquam ea regione, quæ syluam habet, cui Marchiæ nigra nomen. Cuius syluæ arbores, eam præ se ferunt antiquitatem, vt videantur ab ipsa terræ primæua conditione extitisse. Illud alioqui sciendum, Castroduni vitibus à natura veluti limitem ad septentriones atq; Normandiam esse constitutum. Neq; enim vites ibi, aut vnas amplius inuenias, nisi agrestes & labruscas, non ad aliud ferè, quam ad Omphacium, vtiles.

53. CIRCEVS mons.

27. CIMACVM.

56. Cisterna, ad centum camerellas.

56. Cisterna L. Luculli, vide L. Lucullus in Indice.

9. COLONIA Accusianorum.

56. Crater; Vide Sinus Baianus in Indice.

Crucigladiorum quando exorta Societas, & quamdiu durarit, vide Rigam in Indice.

56. Crypta mirabilis ad Balneum Ciceronianum. Vide Trituli Balneum in Indice.

56. Crypta Tracanaria, vide descriptionem mortis Miseni in Indice.

56. Cumanus Sinus, vide Sinus Baianus in Indice.

57. CVM ANAE Sybillæ antrum.

Capra, vide Lauretum in Indice.

D.

33. DAVENTRIA.

DELPHIVM, elegans ac munitum Hollandiæ oppidum, à fossis, seu aquæ ductibus sic appellatum, omni propemodum orbi notissimum ex cereuisia, quam abundantissime eius incolæ coquunt, ac distrahunt. Oppidum illud patriam habuit perditissimus ille impostor Dauid Georgius, pestium, à quibus oppidum Vvestphaliæ infectum fuit, vni. Hic professione vitrarius pictor, humillimo natus loco, literaturæ omnis expertus, ea tamen fuit ingenij versutia, vt non solum nouæ sectæ ipse quoq; dux, & auctor fuerit, sed etiam vt à suis, quibus verum se esse Messiam persuasisset, tãquam Deus adoraretur, obtinuerit. Hic & uxorem habens, & liberos, cum in speciem quidem modestè & ciuilitè, sed ab omni reuera, tum religione, tum probitate alienissimus vitam ageret (ita hominum alij sunt crassi, leues, rerum nouarum cupid, alij subdoli, malitiosi, duplices, in omnes rerum malarum occasiones intenti) non solum in diuersas Belgij regiones, suum dogma promouerat, verum etiam cum incredibili quæstu, omnibus nouo Deo certatim munera offerentibus, non mediocrem habebat sequacium turbam. Hoc reiectum scelus, cū Magistratus, qua decebat seueritate infectarentur, fuga Basileam facta, & mutato illic nomine Dauidis Georgij, in Ioannem Bruchtium, cum hoc modo suam occultasset fraudem, eodem quoque suam

transtulit familiam, & amicos, clientulosq; non paucos. Ibi & priuatim hoc dogma, tam insulsum auditoribus tradebat, & litteris, per idoneos tabellarios missis, longe ad absentes propagabat. Attamen, cum ex eius cultoribus resisisset quispiam, simul metu, ne per eam occasionem retegeretur monstrum, simul dolore & ira percitus, repente ibidem mortuus est anno 1556. Id, cum ad eius vrbs magistratum perlatum esset, diligenter in ipsius vitam inquisitione facta, & decisa demum lite, iudicum sententia, in cadauer animaduersum est, bona in fiscum relata, eius familiæ, vt & cæteris, qui dogmate illo abiurato, ad ciuitatis religionem sese adiunxissent, humaniter condonatum, vniuersæ rei gestæ historia, typis euulgata.

Exiguo ab oppido Delphensi milliari, distat Pagus, quem Hagam Comitum, vulgò *Desf Grauen-Sage* vocant, omnium, quos Europa habet, pulcherrimus, ditissimus, amplissimus, ac capacissimus, ad domuum duo millia continens, tam sumptuosarum, vt nulli vrbs cedant, cum ibi totius propemodum regionis nobilitas, ac Regis etiam palatium, curiaq; comorentur. Hinc ad femimilliarium distat Lofdunen. Benedictini ordinis monasterium, vbi sepulchrum extat Comitissæ Margarethæ, cuius historia relatu non indigna videtur. Hanc quondam pauperula quædam, natos ex se gemellos vnus tenens, petebat eleemosynam, cui præter id, quod nihil ei largiretur, insultabat, eamq; conuictijs proscindebat, negans possibile esse, binos pueros, eodem partu edi, nisi binis etiam patribus geniti essent, proinde alterum horum adulterio natum esse: qua contumelia mota miserula hæc, orabat Deum, vt ad vindicandam castitatem pudicitiamq; suam, permitteret hanc comitissam, eodè partu tot infantes, quot dies annus habet, dare, idq; factum esse, testatur eius epitaphium, quod sic se habet: Illustris domini Florentij Comitum Hollandiæ filia, cuius mater fuit Machtildis, filia Henrici Ducis Brabantiae, fratrem quoq; habuit Guilielmum Alemanniæ Regem. Hæc præfata D. Margaretha Anno salutis 1276. ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die Parasceues, hora nona ante meridiem, peperit infantes viuos promiscui sexus numero trecentos, sexaginta quatuor; qui postquam per venerabilem Episcopum Guidonem Suffraganeum, præsentibus nonnullis proceribus & Magnatibus, in pelui quadam Baptismi Sacramentum percipissent, & masculis Ioannes, femillis verò Elyzabet nomen impositum fuisset, ipsorum omnium vna cum matris anima ad Deum æternaliter victura, redierunt, corpora autem sub hoc saxo requiescunt.

28. DORDRACVM, Hollandiæ vrbs valde munita, negotiationi idonea, vndiq; cinctâ mari, aquis peruia, opibus & celebritate inter alias longè princeps, sita loco admodum fertili, cuius initium, propter antiquitatem nescitur. Nuncupatur autem Dordracum, quasi *Durdrecht* / ob fluminis, qui ibi semper fuit, traiectum. Incendio hæc vrbs aliquoties deformata fuit; semel, ob bellum Traiectensis Episcopi, cum Guilhelmo Hollandiæ comite. Altera vice, anno salutis 1457. incendio fortuito media eius pars concidit, cum summa, & D. Iacobi Ecclesia, cum Hospitali & Halla, quam vocant, vrbs. Bellicosos etiam & animosos ciues Dordracum semper habuit. bellum namq; contra Ioannem Hollandiæ Comitem ipsis fuit, priuilegiarum defendendorum causa, potissimum super priuilegio de non euocando ciues ad aliud, quàm domesticum tribunal. Nam Comes ipsos ad Delphense iudicium citauerat. Anno etiam salutis M. CCCC. IIII. Dordracenses, Brabantiae Ducem, qui totam Zuihollandiam, præter vnâ hanc Dordracenam vrbs, potestatis suæ fecerat, Brabantinos omnes armorum impetu repellunt, dissipant & cædunt, complures pagos Vulcanico litant, Buscumduco & oppido S. Gertrudis imminet, atq; ingenti demum præda onusti, victores, ad suos redeunt.

8. DRVYDES.

20. DVACVM, vrbs Flandris, Hannonijs, & Artesijs vicina, videtur eius esse gentis, quam Cæsar Catuacos appellat. Flumen Scarpa per mediam se vrbs diffundens, alueis eam pluribus distinguit. Cameraco, & Lésio quinto abest milliari, copiosa vrbs & firma, habens aquarum scatebras, domos veteres illas quidem, sed ornatu ac splendore non postremas, templa verò augusta, idq; imprimis, quod virginis matris nomen habet peruetustum: quippe, eam tum à Clodiæ Regis Galliarum temporibus sub annum Domini quingentesimum ab Arcanolto Regni Curatore, seu (vt alij adpellare malunt) equitum Magistro constructam, Qui de rebus Gallicis, & Belgicis magna

INDEX.

magna cum laude historiam conscripsit. Robertus Guagu-
nius magna virtute vir istam habuit patriam.

E

12. EDENBURGVM, Scotorum Regia, Senatusq; sedes, cincta mœnibus, & arce, quæ ab asseruatis sibi puellis, nomen ducit, valde insignis. Ad quam ob viæ angustiam, & difficilē, præcipitemq; accessum, præcelsæ namque imminet rupi, nullæ hostium copiarum subduci possunt. Proinde inexpugnabilis omnino putatur: quanquam tamen eo bello, quo David Brutus Scotiæ, Et Edouardus Britannia Rex, Magnâ Angliæ partem, & Scotiam omnem ad internecionē vastarunt, occupantibus eam Anglis, dolo sit expugnata. Agris namq; multis annis permanentibus incultis, tanta fame laboratum est in Anglia pariter, & Scotia, vt equos, canes, feles, ac similia animalia penuria aliarum rerum ederint. Traditum insuper à quibusdam est, eo inopiæ redactos quosdam, vt diutinam famem non ferentes, pueris à vicinis suffuratis, miserabili calamitate non pepercerint. Eo tempore Arx Edenburgensis, eiuſcemo di stratagemate in Scotorum manus peruenit Douglas, eques auratus, Valterum quendam, cognomento Turris, virū opulentum admodum sibi deuinctum habebat. Is, nauis sua, ex mandato Douglas in Forthiam proficiscitur, fingens mercatorem se, vinatq; è Gallis adferre, & ex composito dolia quædam secum attulerat, ac postridie, depromptis aliquot lagenis ad arcem Edenburgensem pergit. Oeconomum prodire iubet, venienti lagenas dat, vinumq; gustandum. cum non parum placuisset, (quibus nimirum iam diu, maxima vini penuria fuerat) rogatum vasa se aliqua, ex eodem genere, adferre velint. Enimvero, respondit Oeconomus, re multo nobis gratissimam facturis es, si in tanta vini inopia, eam nobis benevolentiam exhibeas. Ac, quo certior res sit, de pretio nihil dubitet, pecuniam præsentem dat, postridie vinum adferri iubet, sub aurore se ille adfuturum cum vino respondet. Postero die, dubia etiam luce, adest, vasa duo carpento adferens, portæ extemplo aperiuntur. Cum verò in medio portarum consisterent, per fraudem soluto axe, carpentum proci- dit. Ac mox Douglas (nam haud procul iam inde cum expedita militum manu confederat) cum paucis superuenit, ianitores resistentes occidit, arcemq; ipsam tandem occupat. Atque rex David cum coniuge Ioanna ex Gallia in Scotiam reuertitur.

41. ELBORESTADIUM.

ENCKHVSA, ignobilis quondam Hollandiæ vicus, qui nec oppidi nuncupationem merebatur, nunc, inter cultissima, & lautiora oppida recensetur. Ciues habet conficiendarum & gubernandarum nauium peritos, qui, quo tempore vilis est halecum captura, (tota nimirum ætate) ex qua communis plebecula vt plurimum victitat, nauiculas piscatorias deferunt, retia, ad Nouembrem vsque mensē deferunt domum, & Naucleri, Gubernatoris, aut vulgaris nauitę munia, mercede conducti, obeunt. Exercitati quippe sunt nauitę, qui nauiculis suis piscatorijs velocius, quàm alia quæcunque etiam nauis, tam aduerso, quàm secundo vento velificare norunt. Malum non in medio, sed ad nauiculæ latus collocant. Et, ne ipsam, affixum lateri velum, ventorum impetu graue, in imum deprimat, aliud eiusdem nauiculę latus, ponderosis lapidibus onerant, æqualem vt cursum, nauigando teneat. Quin, & sale conficiendo excellunt. Extra orientalem portam, gres habent peramplas, & salinarias officinas, in quibus ex sale prius ruditer coctō, tenue, & maxime candidum conficiunt, vnde, vt laus Enckhufanis maxima, ita vestigal haud contennendum prouenit.

39. ESCHVEGA.

40. ESSENDIA.

F

58. FORVM VVLCANI, officinæ aluminis apud Puteolos, vulgo Solfataria, quasi Sulphuraria, quæ vndique tota collibus aridis ac fertundis circumdatur, quos Leucogeos à squallorac liuore sulphuris, teste Plinio, dixere veteres, nonnulli verò Phlegæos, ab assiduo crepitu, quem intimi ardores gignunt, quo etiam cognomēto proximum sinum maris circumscripsit Syllius Italicus illis versibus

- illic, quos sulphure pingues Phlegæi legere sinus.

Iuxta hos colles officinæ existunt sulphuris, quod vsque à

Plinij memoria hinc mittitur electissimum. Atque ex his patet area sulphurea, duorum circiter milliariorum ambitu. Forum Vulcani, ab antiquis dicta, vt Strabo est author. Nec incongrue, quando primo aspectu, caliginosa, & quasi caminū fornacis ingressuris æstuet, & quam tremitu vndique colliū, feruore lacunarum, vapore, igne, instabili solo horridā, haud tuto quis auit, nisi certis semitis adire, ob occultos, quos sulphuris incendium cōtinuo demolitur, anfractus, in quos miserè aliquos pessundatos, ac suffocatos, accepimus. Est autem ad caput huius areæ lacuna, inter alios hiatus, aquarum feruentissima: quæ ob varium ignis, ac aquarum simul erūpentium impetum: modo amplior visitur, modo angustior, ac ouata specie, vnde Nauis, siue potius, (vt multis placet) Abyssus, dicitur, quæ immensi gurgitis instar, luridis, tetrīs, ac putidissimis scatet aquis, tantoq; feruore salientibus, vt proiecta quæcunque animalia, citissimè absumat, ac ad ossa vsque conficiat. In hoc Vulcani foro, sulphurea conſtantur potiora vascula, quorum vsum, lienosis prodesse, compertum est.

36. FRANCHERIA.

38. FRANCOBURGVM, haud ignobile Hasiæ, qua Regio ipsa VVestphaliā respicit, oppidum.

56. FRICATORIA Baiana.

56. Fricatoria Baiana, vide Balneum Trituli in Indice.

39. FRISLARIA, Hasiæ oppidum.

57. LE FVMAROLE Agnano.

G

55. GAJETTA, vide Caieta.

47. GAMANODVRVM, vide Saltzburgum.

56. GAVRVS; Gallicanus: Mafsicus, Synonyma sunt, mōtis Campaniæ felicitis, qui hodie Gerro vocatur, vt referunt Blondus & Leander. Mafsici, & Gauri memoria est apud Plinium, Lium, Ciceronem, Statium, & Vibium. Gallicanum fateor me apud neminem antiquorum hætenus obseruasse. Sed Calligula mōs est apud Lium; pro quo Gallicanus perperam habent Blondus & Leander.

17. GELDRIAM, eam esse urbem, vnde regio ipsa vniuersa adpellationem obtinuerit, nominis ratio plane confirmat. Urbem autem id consequutam nominis, ab immani quadam, eo loci, cæsa bestia, ex aliorum sententia, in ipsa descriptione, retulimus. Sunt tamen etiam nonnulli, qui vel à Gelduba, citius frequenter meminit Tacitus, vel à Gerlaco, secundo Geldriæ præfecto, Geldros appellatos, existiment. Priorem tamē sententiam, de trucidata ad Esculam arborem bestia, prima Geldriæ insignia, confirmare videntur, quæ tres Esculanos flores, in campo flauo exhibebant. Anno salutis M. CCC. XXXIX. Reinaldus Geldriæ Dux, Carmelitarū societati Collegium, in hoc oppido fundauit.

57. S. GERMANI sudatorium.

31. GOVDA, Hollandiæ opp. in ostio aluei Goudæ, cuius & nomen refert, ad flumen Isellæ situm est, Leida, quarto distitum milliari, copiosum, diues, populo abundans, viros habuit complures litteris claros, vt Henricum & Ioannē, quos Tritemius in suo virorum illustriū catalogo memorat. Guilielmum Hermanum, & Cornelium Aurelium, Historiographos & Poetas. Hermannum Goudanum Theologum, & Iacobum Poetam insignem. Vicinum Goudæ cœnobium est Regularium fratrum, nomine, Stein, in quo Erasmus Roterodamus, adolescens, institutum monasticum professus fuit.

56. Golfo di Napoli. Vide sinus Baianus in Indice.

9. GRATIANOPOLIS.

57. GROTTA del la Sibylla.

56. Grotta Traconaria, consule descriptionem montis Miseni in Indice.

57. GROTTA deli cani.

H

Haga Comitit, vide Delphium in Indice.

41. HALBERSTADIUM, insignis Saxonie vrbs, peraugusto Canonicorū collegio celebris, quæ anno post orbem redemptum 1180. graui calamitate eo dissidio est pressa, quod Vlricus Episcopus cum Henrico Leone fouit, quando infeliciter pugnatum à ciuibus, capta vrbs, alioqui munitissima, ab hostibus exusta, Ecclesia similiter primaria, in quam clerus & populus, tanquam ad tutissimum asyllum confugerat: ca-

ptus &

INDEX.

ptus & abductus Episcopus: si quæ ex incendio ciuium referuata bona, à ferociente victore per vim ablata. Et in cadauer denique, vrbs tota conuersa. Truces sic sunt Bellonæ fructus. Sed, vt sunt rerum mutationes mirabiles: Qui supererant oppidani, situs opportunitate illecti, nouam ex cineribus excitant urbem, & temporis deinde successu, harum calamitatum obliuio, debitam Episcopo suo obedientiam detrectant. Quare Ernestus Magdeburgensis Archiepiscopus, & Administrator Halberstadiensis, ad iuga & plenam obedientiam, armis hanc urbem redegit, accipiens eam in potestatem, & omne eius gubernandæ ius à consulatu in se transferens, ac tum Iudices ac Scabinos, qui iustitiam ex æquo & bono administrarent, conseruit.

23. HANNONIA.

56. Herculis Bauli templum in Baiano sinu magnificum fuit, quod ad Auernum montem versus, orientali latere Plinius demonstrat, vbi tum ætate sua, templum ad huc antiquissimum, rotunda forma conspectum ait. Id ad Baianum fuisse finem, Strabonis quoque narratio probat, qua aggere Lucrinum lacum ab Hercule munitum scripsit, boum Gyronis traducendorum causa: quapropter & Baulos, ita vetustate corrupto vocabulo, Boalia primum dictos, auctor est Seruius in eo Vergilij loco. Et tenebrosa palus Acheronte refuso: ad dens insuper, Herculem istuc Aenæ visum. De Baulis quoque commemorat Tacitus, Neronem matris fata præparantem scribens eam ad Baias euocauisse, vbi Quinquatrium celebrabat exceptamque inquit, manu & complexu duxit Baulos: id villæ nomen inter Misenum promontorium & Baianum lacum est, quæ flexo mari alluitur. Eandem villam compellat Silius inquit. Et Herculeos vidit in littore Baulos. Hortensium oratorum apud Baulos in parte Baiana piscinam habuisse nobilem, & in ea Murenam aded dilexisse, vt exanimatam fesse crederetur: in eadem villa Antoniam Drusi Murenæ quam diligebat, in aures addidisse, eiusque rei fama quosdam Baulos videre concupituisse Plinius scribit. Mentionem Baulorum Agrippinæ maris Neronis interitum in sidis filij circumuentæ narrans, præter Tacitum etiam Suetonius facit, qui de Nerone quoque cum memoria huius oræ in hæc verba memorat. Inchoabat piscinam à Miseno ad Auernum lacum, contectam, porticibusque conclusam, quod quicquid totis Baijs calidarum aquarum esset, committeretur: fossam ab Auerno Hostiam usque vt nauibus nec tamè mari iretur, longitudine per CLX. miliaria, latitudinis, qua contrariæ quinquiremes commearent. Eiusdem fossæ Plinius insuper, vnaque Tacitus meminerunt.

52. HERCVLEA.

I.

INARIME, vide Iscla.

56. INARIME Insula.

Inferum mare, vide Tyrrhenum in Indice.

19. INSVLA, Flandriæ, quam Gallicantem cognominant, vrbs præcipua, Germanis, Riffell. Gallis: quorum hic lingua potissimè præualet: Lille, dicitur. Quæ, vt potentia, diuitijs, & potissimum Mechanicis artibus quouis tempore floruit, ita Bellona, Vulcano, & varijs iniquæ fortunæ casibus, frequenter afflicta fuit.

45. INVTRVM.

56. IOVIS antiquum templum, nunc D. Proculo sacrum, in Campania felice medio oppido Puteolano conspicitur, id in aditu, hanc inscriptionem adhuc habet. Calpurnius L. F. Templum Augusto cum ornamentis D. S. I. Et alia quoque pars huiusmodi: L. Cocceius L. C. Posthumi. L. Auctus Architecti. Videntur etiam hic ossa quædam humana, vastissimæ magnitudinis, hoc Pomponij Latini carmine celebrata.

Huc quicunque venis stupefactus ad ossa Gyantum,

Disce, cur Hetrusco sint cumulatæ solo.

Tempore, quo domitis iam victor agebat Iberis

Alcides, captum longa per arua pecus

Colle Dicharchæa clauaq; arcuq; Typhones

Expulit, & celsit noxia turba Deo.

Hydruntum potit pars, & pars altera Thuscos,

Interijt victus terror vtroq; loco.

Hinc bona posteritas immania corpora seruat,

Et tales mundo testificatur auos.

ISCHIA, vide Iscla.

56. ISCLA hodie Ischia, Hermolao, Volaterrano, Fabricio, & Erythæo, qui in suo indice Virgiliano, contra Plinium, & eius castigatorem Hermolaum docet, hæc maris Tyrrheni insulam, non Inarime, sed Arime ab Homero vocatam, Virgiliumque primum fuisse, qui Arime, cum in Ionum præpositione, iunctim legerit. Hanc Eretrienfes, & Chacidenfes primi incoluerunt, quos ob feracitatē soli, fortunatos Timæus vocat. At Hiero senior Syracusarum tyrannus, qui postea & ei, & Campaniæ dominatus est, illis, ob seditionem, pulsus, colonos è Sicilia eod transmisit, qui oppidum Gerundam cognominatum, edificauerunt. Horum tempore, & paulo ante Timæi ætatem, collis in medio insulæ situs, cui Epomeus erat nomen, terræ motibus primum frequenter concussus, mox incendia maxima, aperto hiatu, euomuit. Quibus conterriti Siculi, & oppidum, & insulam deseruerunt. Sed & Lucio Martio, & Sexto Iulio Cofs. & deinde Cæsare Augusto, Tito, Anthonio quarto, atque Diocletiano imperatibus, plurimum arsit. Alberti præterea primi, anno tertio, aded vehemens ibidem profluuium ad menses duos prorupit, vt in suum quodammodo exitium conspirasse crederetur, cum plurima bruta, ac multos homines consumpsit, & cæteri fuga dilapsi, in proximam Pandatariam, vel Capreas, vel Baias se contulerint. Remanent eius incēdij ad huc vestigia, locustque ille asperrimis lapidibus combustis tectus, simul & incultus, longitudinis p. m. circiter 3. Crematus nominatur. Oppidum in hac insula olim conditum, Iscla hodie dicitur, quæ & insulæ, abolitis vetustis appellationibus, nomen dedit. Est natura munitum, edito atque exeso in monte situm, quod mari olim vndique cingebatur. At cursu temporis, vallo, quo ab insula discrepabat, iniectis saxorum ruderumque machinis oppleto, insulæ connexum est. Ad ipsum accessus est peraccliuus, magnaque ex parte saxo cæso, atque excavata rupe, manufactus, quæ vel duo milites tuto tueri possint. Iscla, Sirenes præterea & Prochyta quoque, strictissimo gurgite à Cumarum littore disidēt, ac tanquam moles pulcherrimæ, mare pingentes, prospectum à regione agri Cumani, Miseni, iucundissimum præbent. Scribit Pindarus in Pythijs, (quod & lib. 5. Strabo verisimile arbitratur) tractum omnem æquoris, qui à Cumis & Puteolano agro ad Siciliam usque protenditur, ignitum esse, profundasque in vnum coeuntes, habere cauernas, eoque insulas interiactes igniuomas esse.

56. Iulium opus in sinu lucrino, vide de eodem sinu, Indicē.

47. I V V A V I A, vide Saltzburgum.

54. IVPITER ANXVR.

L.

57. LACVS AGNIANVS, in Puteolano est ad viam, quæ est à Puteolis ad Neapolim, admodum celebris. Tum, ob L. Luculli villam, hinc olim amœnissimam, tum, ob spectabilem lacus ipsius naturam, quem amphitheatri instar continuis collibus vndique clausum, ijsque sulphureosis, verisimile fit ab insigni olim aliquo harum terrarum incendio habuisse originem. Quam ob rem complura adhuc extant conclusi eius ignis spiracula, diuersæ admodum, pro diuersitate terrarum, qua vapores ipsi transeunt, qualitatis. Quidam animalia quæcumque iniecta lethali spiritu enecant, ac mira naturæ contrarietate cum eadem in lacum ipsum demissa reuiuiscant, ob temperatum (vt credo) aquarum eius teporem, in quo propterea ranæ degunt, ac magna serpētium copia. Quidam verò ex his specibus ad sudationes recipiuntur, quas Fumarolas Neapolitani appellant, summo hodie honore ac frequente vsu celebres, calefaciendo vtiles, exiccando, discutiendo. Vbi aliqui ad huc vsum perangusti hiatus existunt, in quos membra ipsa patientia, vt pedes, crura, brachia, seu contracta, seu tumida mittunt, ac fouent, reliquo foris corpore seruato incolunt, ac mirifice iuuantur.

26. LANDRECIVM.

47. LANDSHVTVM, lauta, elegans, ac nitida Bauariæ inferioris vrbs, senioris Bauariæ domus filij, nunc successoris paterni, residentia. Isaro fluuio irrigatur, qui, vbi Landauia, Sindelfingium, Monacum, Mosburgum, & Mittenvaldium, vrbs famosas, allabitur, tandem se Isaro associat.

47. LAVREACVM, Opp.

51. LAVRETVM, agri Piceni, ob tutelam inclyti, toto mundo B. Mariæ Lauretanæ, oppidum munitissimum, quo in loco olim, vt quidam censent, Cupra montana fuit, à Plinio in Piceni quintæ regionis mediterraneo, descripta, simulque propter aliam Cupram maritimam, montana cognominata. Sūt etiam,

I N D E X.

etiam, qui in D. Mariae Lauretinæ fani loco, prius eodem Iunonis Cuprang fuisse tradant, à veteribus religiofissimè cultam, vt Petrus Marfus ad hunc Silij versum notat: Et quis littoreæ fumant altaria Cupræ. Scribit enim, Cupram oppidum, ad mare quondam templum habuisse Iunonis, Thufcorum ædificium, qui Iunonem Cupram nominabant, ideoq; Poetam, illic altaria fumasse, dicere, quoniam Cuprani, Iunonis colebāt sacra. Verùm enim uero, quod Cupram oppidum esse ad mare dicit Marfus, in hoc eū falli, cum alijs quibusdam animaduertendum est, qui immemores, duas Ptolemæum in Piceno Cupras designare, montanam, atque maritimam, non de alia, quam littorali Cupra cogitauerunt, cū tamen Iunonis templum intus in colle, non ad litus in planitie, situm fuerit.

36. LEVVARD VM.

Liburnum, vide Tyrrenum mare in Ind. ce.

19. LILLE, vide Insulam.

11. LOVANIVM, Brabantiarum urbium præcipua, amplitudine, in Germania Agrippinam Coloniam, in Gallijs verò Lutetiam Parisiorum superare dicitur. Vniuersitate celeberrima claret. De cuius initio in Chronicis Colonienfibus, refertur, quod Ioannes Dux Brabantus, à Martino PP. V. impetrarit Academiam Louanienfem, vt ibi omne artium & disciplinarum genus doceretur: quodq; anno M. CCCC. XXVI. cœperint profiteri: ac quamquam Martinus noluerit permittere, vt sacra Theologia traderetur, id tamē Eugenius IV. permiserit. Quæ ex Colonienfi deriuata & procreata, tandem à maximis Pontificibus, Imperatoribus & Regibus, Reuerendissimisque Cardinalibus, & Episcopis, ac alijs clarissimis viris, partim amplissimis priuilegijs, partim etiam exstructis splendidissimis collegijs, egregijs foundationibus, & legata in vsus literarios maxima pecunia, in eum splendorem perducta est, vt celeberrimum in Germania omnium literarum emporium, florentissimamq; Academia meritò appelletur. Nec enim bonarum artium gloria omnes alias tantum hoc tempore superat: verum etiam sic firmata, sic dotata, sic ornata est, vt vix vnquam interire posse, videatur. Est præterea cœlum Louanij, quod vel Italico, quamuis adamato, præferas, nō amœnum modò, verum etiam salubre, & studijs aptissimum. Vnde Erasmus epistola quadam ad Ioann. Lodouicum Viuem Nulla, inquit, meres inuitauit, vt Louanium commigrarem, nisi cœlum salubrius & locus amœnior. Ioannes Geropius Beccanus, nullam vel in Italia, vel Germania, vel Gallia, Hispaniaq; Academiam reperiri affirmat, quæ sit cum Louanienfi, situs elegantia, iucunditateq; comparanda: &, quod, etsi Salamanca in Hispanijs, scholarum magnificentia omnibus Europæ gymnasijs præferat, tamen situ & locorum facie, à Louanio superetur, nec vsquam alius locus reperiat, cui melius Musarum domicilij nomen conueniat. Quare præstantissimis in omni disciplinarum genere Doctoribus, ingeniosisq; adolescentibus quam plurimis, inde ab initio semper abundauit, nostro tamen seculo (etsi satis celebris & florens erat) multis, ijsq; præstantissimis & pulcherrimis ornamentis supra omnes alias excreuit. Nam præter alias innumeras commoditates, Adrianus VI. Pontifex Maximus quia hæreses in Germania exoriri videbat, & homines quosdam in eam curam incumbere, vt bonas literas, vnà cum ipsis academijs euertent, egregium Louanij, vbi ipse tum Rector & Cancellarius erat, collegium, sub Adriani nomine, extruxit, vbi tenuioris fortunæ iuvenes, cum Doctoribus sustentarentur, qui cum alias omnes artes, tum verò in primis sacram Theologiam tam oportuno tempore docerent. Huius optimi Pontificis, gloriosissimiq; patris sui Caroli V. Imperatoris Romanorum præceptoris exemplo, vt videtur, permotus potentissimus & verè Catholicus Hispaniarum Rex, Belgijq; Princeps, Philippus II. non tantum hanc amplissimam academiam mirificè semper honorauit, verum etiam superioribus annis, cum hæreses etiam in Gallijs (quo multi ex suis ditio nibus proficiscebantur) inualescere videret, iccirco, vt innocuæ iuuentuti in alia loca, quæ erroribus abundarent, proficiscendi occasionem præscinderet, & nouam Duacensem academiam erexit, & Louanij aliarum artium atque linguarum studijs auctis, linguæ Gallicæ publicos Professores instituit.

Losdunum, vide Delphium in Indice.

36. LVCEBURGVMM, nominis eiusdem Ducatus Metropolis, vrbs ampla, partim montosa, partim æqualis, arce, & propugnaculis munita, etsi Martis frequenter deformata furoribus, quibus nihil cum Musis, otio & tranquillitate gauden tibus commune, illustres tamen eruditione viros edidit. Atq; inter multos Nicolaum Nanium, hominem vsque adeo do-

ctrina, & rerum prudentia magnum, vt Curie iudicialis apud Luceburgum Præses, nō ante munus, quam vitam, filium autem reliquerit sibi cognominem, qui paternas æquans virtutes, tantum apud Carolum Quintum Casarem gratia valuit, vt in toto Imperio Cancellarij vicarius ab eo constitutus, id muneris cum vita finierit.

56. LVCRINVS SINVS, iuxta portum Baianum in Cæpania, lacus est, scriptoū elogijs celebratus. Ostreis quippe, & auratis abundare solebat, vnde Martialis:

Non omnis laudem pretiumq; Aurata meretur.

Sed, cui solus erit concha lucrina cibus.

Et alibi:

Elria Baiano veri modo concha lucrino,

Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Plinius etiā auratas, & ostrea Lucrini Baianiq; sinus celebrat. De Lucrino Vergilius.

An memorem portus? Lucrinoq; addita claustra,

Atque indignatum magnis stridoribus æquor?

Iulia quæ ponto longo sonat vnda refluxo,

Tyrrenusq; fretis immittitur æstus Auernis.

Quos versus exponens Seruius, duos, ait, in sinu Baiano Campaniæ contra Puteolos esse lacus, Auernum & Lucrinum, vnde propter vbres piscatus, amplissimum vestigal percipiebatur, aliquando tamen impetu nimio marinis vndis intrantibus, & eadē celeritate refluentibus, abduci contigisse piscē, & vestigalia deteriora fieri. Hæc de causa Publicanis orantibus, vt prouideretur, Iulium Casarem eò missum, ab eorū negotio toto perspecto, brachia duo, iactis aggeribus, ducta, qui bus æstus marinarum fluctuum arcerentur, angusto tamen ostio relicto, per quod in Auernum piscis commeare posset, fluctus ingruere non possent: proinde opus id Iulium appellatū. De qua re Suetonius etiam memorat, Casarem Baianum portum extruxisse, immisso in Lucrinum & Auernum mari. Lucrinum à lucro denominatum, nōnulli credunt, quod ex eo, quia piscosus esset, percipiebatur.

56. L. Luculli villa Baiana, lacus mortuo vicina, tam stupendum est, ob impensam & sumptuum magnitudinem, opus, vt vulgus Piscinam mirabilem nuncupet. Is autem Lucullus, nobilis Romanus fuit, virtute bellica, eloquentia, & diuitijs clarus. tātas namque bello sibi opes parauit, vt eleganti sumptuosaq; vita, cui se postmodum dedit, eas non potuerit conterere. Aedibus namq; & Prætorijs extruendis, hortis, & cœnationibus amœnissimis, incredibili sumptu paratis, & Bibliotheca insigni, vtriusque linguæ libris referta, atque omnibus obuia & patenti, planè admirandam opum magnificentiam ostentauit. Villam quoque habuit Baianam, in qua mensibus hybernis agere solebat. Opus erat ad mare mortuū descensu graduum XL. in ipsis terræ visceribus admirandum, latere calcæq; factum, quatuor columnarum ordinibus, id est, quintuplici porticatione. Columnæ quadratæ sunt, crassæ pedes ternos, cum semis eleganti symmetria factis, altæ sub fornicibus pedes duodenos: vnde, quantum ratione colligi potest, à solo, ad summum in testudine cœlum, altitudo fermè pedum XXV. erit, quippe, quoniam intercolumnia duodenum item pedum sunt, vnde nimirum gemina ferè in altum consurgere, duodenarij mensura videtur. Et hæc quidem porticationis mediæ descriptio est. nam aliæ, quæ latus vtrinque tenent, binis ped. angustiores sunt. In mediam quinque gradibus ex alijs descensus est: vbi ambulatio, per quam aqua non nihil, vsque ad extremum porticationis caput, paulò humilior cætero defluit, vbi graduum etiam aliquot descensus: vnde iudicio colligi optimè potest, ædificium hoc quondam ad vsus aquæ seruandæ, factum. Spacio inter extremos parietes in longum ped. D. in latum CCXX. patet. Altero capite, rursus totidem graduum est ascensus, quot in priore esse descensum, diximus: spiraculataq; plurimis in locis apparent, tanto sumptu & artificio facta, vt non sine causa, ædificium istud Luculli, vulgò mirabilem Piscinam appellari, iam supra falsissimum. Deferris se in hanc villam Tiberium Imper. ingrauescente morbo voluisse, Tacitus auctor est, in hæc verba scribens: Mutatisq; sæpius locis, tandem apud Promontorium Miseni confedit in villa, cui L. Lucullus quondam dominus.

M.

12. MACHLINIA, elegantissima Brabantia vrbs, Archiepiscopi sedes, distat Bruxella, Louanio, & Antuerpia miliaribus qua-

†† 2

bus qua-

INDEX.

bus quatuor, situ & opere munitissima. Præterquam enim propugnaculis, mœnibus ac fossis circumdata est, vicina decliuiora loca, aquarum septis reclusis, stagnantur, vt hostib. nullus ad eam aditus pateat. Hæc vrbs, ob præstita in obsidione Nouesiensis (oppidum est ad Rheni ripas infra Coloniã Agrippinam) Carolo Burgundionum Duci officia, multis priuilegijs, etiam ad inuidiam vsque vicinorum, est dotata: vectigalium, maxime in Brabantia, immunitate. Qua Antuerpia iur ad portam Catharinariam, vrbi Machliniæ cõiunctus est amplissimus circus, castelli instar, muro clausus, domicilijs plenus, vbi celebre etiam templum cernitur, D. Alexio, vt tutelari numini dicatum, quo loco in frequentissimo mulierũ conuentu, plus minus sesquimille, omnium ordinem fœminas semper reperias, quæ religionis ergo, commemoratum eo cõcesserint, omnes verò, quatuor primis vniuersæ parent, & obediunt, in quibus sunt, quæ de suo luculentè viuunt, lóge verò maxima earum pars, lana, ac tela victum quærunt. Sed hic non modo lubet, dumque ita res postulat, extra septa egredi, verum etiam contradicente nemine, quãdo sic visum fuerit, nubere licet. ceterum nunc, quod equidem vehementer dolendum, magnificum hunc circum, virgineo cœtui nuncupatũ, quemadmodum & elegantissima vrbi Machliniæ vicina cœnobia, etiamnum sæuientes domesticæ seditiones, quæ initiatissimum, & locupletioribus ciuib. funestè hucusque, & noxiæ fuerunt, solo adæquatũ, funditus euerterunt. Machliniensibus, ne omnem antiquitatem, ab Aboriginibus, excutiamus, quondam imperarunt Bertholdi, gens vndiq. spectata, & illustris, ac, vbi eius fami. stirps vtraque excidit, nouissimè post diuturnum bellum, litigio fam. contentionem, pars eius vrbs Eburonum Antistitem, pars Geldriæ Comitè agnouit. Sed illi ipsi, (vt Meierus attestatur) postremo iure suo cedere, annoq. M. CCC. XXXIII. Ludoico Niuerniensi Flandrorum Comiti vniuersam dominationem diuendere, id, quod ancipitis belli seminarium extitit. Recusabat enim Ludoicus, Brabantia Ducis clientelare beneficium, quod maiores aliquando, vt ferebatur, non abnuerant. Tandem verò post longissimam, eamq. inutilem litigatorum altercatione, Ludoicus Maleanus, iam dicti Ludouici filiorum natu maximus, Margaritam Ioannis III. Brabantinorum Reguli filiarũ alteram duxit vxorem, cuius matrimonij ratione vt vt confectum bellum, restinctum non sit, ad extremum rebus compositis, Flandriæ Brabantia coniuncta est. Philippus autem cognomento bonus, subinde singulare huius vrbs imperium cõstituit, quale etiamnum manet. Inde secundo lapide, præclarum occurrit municipium Heista, colli impendens, cum appendicibus septem castellis. Machliniensium territorium circumscriptum, ceteroqui per se liberum, & omnium rerum immunitas. Habet insuper hæc vrbs (vt scribit Barlandus) suas minimè vulgares dotes, aeris multam clemetiam, & salubritatem, incolas sermone blandos, moribus mäsuetos, comes, ciuiles, bellicosos etiam, cum res exigit, placet in hac vrbe virorum multitudo, placet mundities; habet concilium Regium, & ædes sacras complures decenter ornatas. Vrbem hanc Machliniensem multo celebriorem nunc reddidit Illustrissimus D. Cardinalis Granuellanus, nouæ scholæ institutione, quam velut seminarium quoddam morum, ac litterarum ex Concilij Tridentini præcepto, magnifici viri, non modo de hac vrbe, sed de vniuersa Brabantia eo ipso benè meriti, instituere nũc moliantur. In qua pueris, quibus parentes, ob fortunarum angustias, necessarios ad studia sumptus, suppeditare nequeunt, Illustrissimi D. Cardinalis munificentia, ad victum & cultum necessaria, perpetua foundatione, concedentur. Hominum memoria celebrantur Machliniæ oriundi præstantissimi, doctissimiq. viri, Franciscus Costerus, Philosophus & Theologus celeberrimus, Societatis Iesu, iam hoc tempore, in superiore Germania Prouincialis. Ioãnes Hoehus, & Arundineus, Grauis vterque Auctor. Item Nicasius Vordeus, is, qui licet visus vsuram ei casus trimo, eripuerit, in literis tamen vsque ad eò profecit, tantosq. fecit progressus, vt vtriusque Iuris professione, Docturæq. dignitate claruerit, ac idcirco abs Trithemio inter naturæ miracula adnumeratur. Lonanij enim ac Coloniæ, iura publicè docuit, interpretatusq. est, & discipulis nonnulla theoremata dictauit, quæ typis impressa, etiamnum extant, æternũ alioqui duratura. Obijt rarus ille vir anno M. CCCC. LXXXIII. Hinc ibidem editus est, (quemadmodũ ipse in oratione ad Senatum Machliniensem aperit fatetur.) Christophorus Longolius, vir, cum propter raritatem doctrinæ, tum propter virtutum cumulum, omni Europæ notissimus, quem, nõ modo summo semper honore, priuati quibus

homines, sed etiam Principes viri coluerũt, quemq. certatim multi, multis honorarijs muneribus donare, voluerunt, sibiq. ita eius consuetudinem conciliare, vel potius emere. Sed omnium vniuersè ordinum dona aspernatus, vnus Reipub. Florenting, cuius aliquandiu officiosus, studiosusq. extitit, pensionem annua contentus, multorum auctor operum, Patavij anno M. D. XXII. libris immoritur. Contra D. Erasmus ille Roterodamus, in quadam familiarium Epistolarum, ad Damianum suum Goesanum, data, scribit, Logolium re vera fuisse Hollandum, Schonhouia oriundum. At ipsi auctori, patriam professo, citius fides ponenda videtur, quàm cuius peregrino. Scitum enim illud est, Cuique suus imperat affectus. Superant etiam num inter literatos & claros homines, ciuiesq. Machliniensis, Rembertus Dodoneus, insignis Medicus, idèq. Mathematicus peritissimus, à quo multa, nec ea parua opera, subcisiuo tempore lucubrata. Deinde Philibertus ille Bruxellensis, albo geniorum Regionum adscriptus, vir ceteroqui literatissimus, & excellens Orator. Iacobus Vualtelius, in sanctum illud Machliniense consilium cooptatus, vir vndique eruditus, & honoratus, cuius filius Petrus, patre dignissimus, vt doctrina, sic eloquentia valet. Adeo, vt eius ore indigena Senatus grauioribus quæstionibus, postulatisq. respondeat. Pereruditiorum Illustriumq. ceterorum virorum, quibus aliqua scientiæ laus datur, multitudine, breuitatis studio superfedere in præsentia malumus, quàm ieiunè sobrietq. de singulis dicere.

Malatestarum familia. vide Pisaurum in Indice.

27. MARIEBVRGVM.

56. Mare mortuum, lacus est promontorij Miseni, iam nõ ea latitudine, qua quondam fuit, conspicitur, quippe Cæsarem Augustum in eo classem instructam ad prædium inferi maris habuisse, Suetonius auctor perhibet, in hæc verba scribens. Classem Miseni, & alteram Rauennæ ad tutelam inferi, & superi maris collocavit. Præfecturam eius classis Pliniũ auunculum gessisse, cum incauto animi desiderio, ad Vesuuij montis ignes propius explorandos, profectus interiit, Plinius Nepos tradit. Augusti institutum, vt classes Miseni Rauennæq. teneret, Imper. Tiberius etiam sequutus est, vt Tacitus scribit. Circa mare mortuum vndique plurima sumptuosissimorum operum fundameta, ac item partes ædium, opere, vt videtur, reticulato structarum, cernuntur, vnde manifesto colligere est, à Mortui maris faucibus, vsque Baias, inde per Lucrini, Auerni q. ripas, & post, eo litoris flexu ad Puteolos, olim perpetui vici instar, ædificia prope contigua, perpetuaq. fuisse, quorum hac ætate, nullum omnino superest integrũ, omnia quippe, vel concidère, vel mari hausta, vt hinc inigne liceat exemplum fragilitatis rerum humanarum desumere.

56. Mirabilis piscina, vide L. Lucullus in Indice.

56. Misenus, felicissimæ Campaniæ mons, vnde nomen sortitus, cum præcis diceretur Aereus, hæc Virgilij verba indicat,

*Præterea iacet exanimum tibi corpus amici,
Quem socium exanimum vates, quod corpus humanum
Diceret, atq. illi Misenum in littore sicco
Vt venere vident indigna morte peremptum,
Misenum Aelidem, quo non præstantior alter
Aere cedere viros, Martemq. accendere cantu.
Hectoris hic magnifuerat comes.*

Et post:

*Nec minus interea Misenum in littore Teucry
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.*

Ac deinde post cõmemoratos humationis ritus, ita subiicit,

*At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit, suaq. arma viro, remumq. tubamq.
Monte sub Aereo, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumq. tenet per secula nomen.*

Solinus etiam & Mela tradunt, Misenum hunc, à quo montis appellatio profecta, tubicinem Aeneæ fuisse, quem ab illo cefum iuxta lacum Auernum, auctor est Homerus. Quamquã verò Misenum fato suo functum, in aliorum monumentis reperitur, tamen ab Aenea cæsum, immolatumque verum est. Sed nos in hac diuersitate auctorum, suum legentibus iudicium concedimus. Quam sumptuosa sint in isto monte Miseno fornicata ædificia subterranea, cryptæ, & columnæ frequentissimæ, quibus quasi vniuersum Promontorium Misenum excauatum incumbere videtur, verbis explicari vix potest. His sane tam admirandis operibus inspectis, obstupescere mihi plane contigit, inquit Leander, vt ad eò falli præstigijs, aut per quis-

I N D E X.

per quietem, nec veras operum cernere fabricas mihi viderer: quanquam plurima quoque nunc magna ex parte ruinis deformata iaceant. Excusso tamen stupore, quædam ex his ædificijs metiri incepimus, præterq; cætera, quod Cryptâ Traconariam vocât, à traconibus nimirum, id est fistulis, aut subterraneis meandribus, per quos in specum hunc olim aquæ pluvix confluebant. Itaq; per vepres, dumos, & vrticas offiolo modico gradum aliquot descensu, in profunda môtis penetrata deductus, cyptram immensam hac forma reperi. Patet vtrinque longitudine, latitudineq; plurimum, altitudo quoque maxima est: tota rationem structuræ convenientissimam obtinet: partim tamen integra, partim ruinis deformata, & collapsa. Quæ pars eius etiamnum cõspicitur, huiusmodi est. In medio ambulacrum apparet longum ped. CC. latû IXX. adhærent vtrinque cellæ fornicatæ quaternæ, latitudinis quædam ped. XII. nonnullæ XVI. spatium etiam, quo distant inter se singulæ, non est idem. alibi ped. XII. alibi XVIII. Singulæ cellæ suas portas habent, omnes eadem, & pari latitudine ped. XII. quæ vicissim inter se singulæ distât in pedes XVI. primæ tamen ab altera spatium aliquanto maius pedes IXX. cæterarum, vt diximus, æquale est. Camerarum fornices decussatim iuncti parietibus intermedijs incumbunt. Hoc ædificium, vti tum fama fert, tum etiam agnosci facile potest, castellum, vel cisterna quondam aquis recipiendis fuit. Alia quoq; præterea tot in intimis visceribus montis, quædam integra, quædam ferè collapsa conspiciuntur, vt admirationem prorsus ingentem habeant, neq; sane possent, nisi longissima narratione describi, præterquam, quod etiam pleraq; veritatis fidem excedere profecto viderentur.

55. MOLA, oppidum fuit quondam ad Appiam viam in Latio perelegans, hodie vicus, quem Thomas Fazellus decadis ix. cap. ij. de rebus Siculis, Caietæ suburbium nominat. Tullio Ciceroni, Molæ Formianæ dictæ, quod à Formijs non longe abessent.

53. MONS CIRCEVS.

56. MONS NOVVS, ad Puteolanum sinum, per horrendo casu est ortus. Anno namq; post C. N. M. D. XXXVIII. Mese Septembri, die qui D. Michaeli festus agitur, antea diebus aliquot auditis terræmotibus, repente tam terribili mugitu fremituque cœlo sereno terra dehiscens Tripergulano se in vico aperuit, vt vniuersa mundi machina ruere atq; dissipari videretur: quam rem cum attoniti accolæ spectarent, ex illo telluris hiatus flammæ oriri visæ, cineres ardentesq; lapides cum ingenti fumo proijciantes. Saxa tanto cum impetu in cœlum eiacularantur, vt intuentes admiratione prorsus obstupescerent. Cineres vndique venti erumpentes quam latissimè dispergebant, præcipueq; versus Puteolos, ac Neapolim, adeo, vt ad oppidum Sanseuerinû vsque, quod à Neapoli P. M. IIII. & XX. abest, cum animalium & agrorum maximeq; arborum ingenti clade lues ea peruaderet. Circum diuulsionem illam & voraginem soli, cineres, spongiosiq; lapides cû flammis eiectionem altissimum amplissimumq; constituere, quaterna radicum ambitu milliaria continentur.

43. MONS REGIVS, Königspergum, Latine non ineleganter, Mons Regius, Prusix nunc Principis sedes ad Chronum, seu Breglam amnem. In quo Magni Magistri ordinis Theutonico rum sedes erat aliquando: opus est Regis Boiemici, idque ea occasione. Pruteni Christiana religione violata, Magistroq; in Prusix à Friderico Cæsare constituto ad resistendum impare, vim intolerandam omnibus Christianis domi, forisq; vel in Mazouia, vel ad Pomeraniam accolentibus, spolijs cadecq; & strage inferebant, ita, vt in illos Romanus Pontifex vexillum crucis sustolli iusserit. Induit crucem Othogarus cû Boiemis, & Austriacis, similiter Brumo nuper Episcopus Olomucensis creatus, cum Morauis. Accessit mox in itinere haud procul à Vratislavia Otho Brandeburgensis Marchio, ex sorore Othogari prognatus, quibus copijs in vnum coniunctis, procedebat Rex quadrato agmine, sperans futurum, Prutenos in aciem obuios prodituros. Quod vbi non est factû, edicit Rex, ne quisquam militum Christianis, eorumque possessionibus noceret, cæterum in perfidos hostes, iure belli vt agerent, datiq; à Magistro ductores, qui rectâ milites ad agros hostiû deducerent. In illis nullum maleficium omissum, donec per agmina duo Prutenorum Duces diuisi, se à longe ostenderunt, repenteq; accurrêtes, castra Regis tumultu nonnihil turbauerunt: vnde animo accepto, die postero haud segniter aciem instruunt, pugnamq; cû Rege conferere audent, in qua post primum impetum sustentatum, qui acerrimus erat, hostes adq; statim animis conciderunt, vt certamine abiecto, alij, quo quis

que potuit, ipsi verò Duces in vicinum oppidû mœnibus munitum perfugerint, in hac fuga, multi viui capti, atq; omnes vita à Rege donati, quicumque tingi, aut reuerti ad Christianismum non dubitauerunt, cæteri perfidam retinentes pertinaciam, ad internecionem cæsi. Itumq; hinc ad expugnandos Duces oppido inclusos, in quo nullum oppidani commeatû præparatum habebât, quo obsidionem paulò diuturniorem possent tolerare. Requirunt illi oppidanorum consilium, qui respondent, se iam dudum deliberasse, vt religionem Christianam libentius amplectantur, quàm cum liberis & fortunis intercât. Ergo & nos, inquit, pariter illi manus damus, posteaquam aperte cognoscimus, frustra nos cum Deo pugnare, sequenti die deditionem, imperataq; faciunt. Mane Duces, primum à Brumone Episcopo, aqua & chrismate tinguntur, & vt amici à Rege saluantur. Post hos, cætera multitudo certatim ad fontem sacrum properabat, nõ ex eo loco tantum, sed ex tota insuper Prusix, quam Rex, vsque ad mare victor peragravit, vrbemq; in littore maris præclaram condidit, quam ex titulo suo Regio, Montem Regalè appellauit, vt tanto Prutenos in officio retineret facilius. Atque hæc quidem de vrbis origine, de eius autem politix magnificentia plura in indice.

N.

35. NAVALIA.

32. NAMVRCVM.

5. NEBRISSA, vulgò LeBrixa, Hispania Beticæ, agri vberitate, olei, viniq; præstantia nobile oppidum. Cuius si abundantiam vidisset, si dulcedinem degustasset Munsterus, nõquam à Gallia, vini, frumenti, & carniû copia Hispaniam vincit asseuerasset. Situm est admodum iucundo, cõ itinere, quod ad oppidum S. Lucar de Barrameda, Ducis de Medina Sidonia ducit, ad ostium Bæticis fluij. Distât milliariibus inde quinque Xeres de la Frontera, qua deinde Calizium, & ad Gaditanû fretum pertinetur.

32. NEMETOCERNA.

1. NORVVICVS, quondam Venta, amplissima Angliæ vrbs, Londino non immerito comparanda, Mercatoribus insignis, ædificijs plane magnificentissimis referta, muris lapideis circumdata, ac fossis, (Nisi in orientali eius parte, vbi natura ipsa tam fluuio Yero, quàm excelsis montibus satis defensa videtur) circumuallata, Per portas numero xij. vndique ingressus habens. Tempora cum cœmiterijs tot olim, ante, quàm incendio periret, quot septimanas colligit annus, habuit. In præfenti verò præter Ecclesiam Cathedralè, octo & triginta, ijsq; ornatissimis, decoratur.

10. NOVIODVNVM, vel, vt plerique, Niuernia, vulgò Neuers, Niuernensium ducatus, vrbs tam antiqua, eõq; loco sita, vt sine errore ea dici possit, cuius in Commentarijs suis meminit Cæsar, hæc quidem verbis. Oppidum diruit, (de Gernabo loquitur) atque incendit, prædam militibus donat, exercitum Ligerim transducit, atque in Biturigum fines peruenit. Vercingetorix, vbi de Cæsaris aduentu cognouit, oppugnatione desisit, atque obuiam Cæsari proficiscitur: ille oppidum Biturigum, positum in via, Nouiodunû oppugnare instituerat, &c. Vides, vt Gergobinæ vrbi à Gallis obsessæ, auxilio proficiscens, Nouioduno iter habuerit, quæ vrbs, non alia potest censeri, quàm quæ nunc Niuernia dicitur, ad Ligerim sita, eo prorsus itinere, quo Cæsari eundem erat, vbi is veritus, ne male ab exercitu Gallico acciperetur, quamuis vrbs teneret, videns tamen aduersum occurrere Gallorum equitatum, qui prelium deposceret, eam reliquit. Itaque hodie quoque in ipsius vrbs mœnibus, videas antiquum propugnaculum, magnæ omnino amplitudinis, & altitudine ipsos vrbs muros æquans. Et verò Niuerniam, esse Nouiodunum Cæsaris, dozet Aimò ille monachus historix suæ initio, vbi Celticas vrbes enumerans, Nouiodunum, quam hodie Niuernis esse se putant, inquit. Qui eadem etiam historia sua perhibet, vrbs hanc, (quemadmodum vniuersum Niuernensium ducatum, cuius Nouiodunum caput est) initio Comites habuisse, qui Rempub. Regis nomine curarent, sed Comites deinde eius possessionem ac dominatum vsu cœpisse, successu deinde temporis, Comitatum hunc ad Ducalem dignitatem peruenisse. Primumq; Niuerniæ Ducem fuisse Franciscum, filium Caroli Niuerni, & Mariæ Atrebatanæ, cui vxor fuerit Margareta Borbonia, Caroli primi Ducis Vendonij filia.

18. NOVIOMAGVS, ex quatuor Gelrix ciuitatibus, Remunda, nimirum, Arnhemia, & Zutphania, nominis vetu-

state, populi frequentia & opum magnitudine, primas tenet. Alij, Nouiomagium, alij Nouiomagum, alij Nouimagum, alij, Neomagus dicunt. Est, qui & Neomegiam vocet, ne dicam Nimmegam; Neomagium, Numaga. Et denique Neomagium in Badua legitur apud Rhegionem Prumiensem; quali diceret: *Wymnegen in der Besawe*. Vrbs partim cliuo, partim plano in loco sita: patria & natale solum eruditissimi, facundissimiq; viri, & studiosorum omnium Mæcenatis, Francisci Craneveldij, qui Cæsari Carolo à consilijs Machlinæ fuit. Hic fabulam refutare libet, qua huic vrbi Ducum Cliuentium/ortū plerique sine ratione, in historia nimis creduli, attribuunt. Qua de Elia nugantur, qui dicitur ex paradyso nauigio per alueum Rheni tractus; cygno, aurea cathena nauiculæ præfixo, Anno Domini D. CC. XIII. Vbi puella, domina ditionis Cliuæ, & vicinarum prouinciarum parentibus orbata, illū Neomagij conueniens, maritum duxit. Verior certè est historia: Anno ab vrbe condita CCCC. XLII. ante Christum natū annis CCC. sub Alexandro Magno, duos fratres ex Vrsinis, familia Romana, Samniticam cladem volentes euadere, fugisse in Galliam, & secundo Rheni flumini, sese committentes, tandē eo peruenisse, vbi Rhenus à se reiecit VValam ac Issulam, vbi in monte præalto, arcem cum castello excitauerunt, Cliuis hodie dictam. Confirmat id, quod cum Anno M. CCCC. XLIV. præcelsa castri turris solo tenus corruisset, ingentes lapides inuenti sint, cum inscriptione, quæ Vrsinos Fratres, primos eius molis constructores, apertè coarguit. Eam deinde turrin Adolphus, primus eius nominis Dux, qua hodie adparet forma, erexit, quam *Den Schwaneu Torn* nuncupauit. Post ab vrbe condita, D. C. XC. VII. C. Iulius Cæsar, cū in Gallijs ageret, audiēs Vrsipites, & Thèchteros Germanos à Sueuis patria pulsos, traiecisse Rhenum, Menapiorum agros, & aliarum Gentium Rheno incumbentium, loca, deuastare, traductis suis copijs, iubet, vt à deua statione cessent, & regione excedant. At, cum dicto audientes non essent, conferta cum illis manu, trecenta fere hominū milia, partim gladio, partim aquis peremit. Cumq; Vrsinorum castrum, Cliuis ab his euersum Cæsar videret, id restituens, ipsorum ditionem longe dilatauit, atque discedens, Vrsinis ripam, & accolæ Rheni commendauit. Eodem quoque tempore, Iulius Cæsar, duas validissimas arcas in Rheni ripa erexit, dearū Drusæ, & Magiæ ipsè adpellationem tribuens. Quarum proinde altera Duisburgum, altera Neomagum dicta, quas etiam Vrsinis pro defensionibus Gallia, ab incurSIONIBUS Germanorum commendauit. Hæc ex Sichardo Cremonensi sunt desumpta.

56. Nouus Mons.

Notium mare, vide Tyrrhenum in Indice.

O

Obtrincense, An Traiectum ad Mosam, vide Traiectum in Indice.

53. OENOTRIDES, vide Pontia.

51. ORIVETVM, vrbs Thuscæ mediterranea, in alto, precipitiq; monte cōspicitur, Catoni, Oropitum dicta, Desiderio Longobardorum Regi, in edicto, Orbitum. Annius, Oropitū scribendum dicit, ab Oropito, Pelasgorum vrbe, in Achaia, Desideriumq; Regem, per syncopen p. consonante, in b. mutata, reiectaq; vocali o, dixisse Orbitum. Hinc cōsuetudine Græcorum, qui b, pro u, pronuntiant, vti etiam multi Italiae populi, Oruitum factum, ac dein, euphoniae gratia, vocali e, addita, Oriuetum, quod Latinis vrbs vetus est. Leonardus Arctinus, & Blondus aliter scribunt, Vrbs hanc à Florētini ortam, nec supra mille annos ante se natos, eius memoriam inueniri vllam. Volaterranus, Herbanum esse Plinij, iuxta Ortam, censet, idq; multorum auctoritate confirmat, qui non solum vicinitate locorum, sed etiam nominū similitudine ducti, ac si Oriuetum, pro Herbano, vel Herbana, dictum sit, idē credidēre, præterquam quod antiquum omnino ædificium esse patet, vnde quoque non difficilis coniectura capi queat, Herbanum esse, cum hoc situ æquē propinquum Ortæ oppidum sit nullum. Alij vrbs veterem dictam aiunt, quod veteranis olim, ad quietem reliquæ vitæ incolenda, fuerit assignata, propter cœli salubritatem. Et hi etymon nominis, ad veteranos referunt, quorum in numero est Facius Vbertus, in-

*Vrbs Oriuetum alta est, & præceps,
Nomen à Romanis accepit veteranis,
Qui propter acris temperiem eo concessere.*

P.

53. PALMAROLA, alij Palmariam, alij Pandatariam nominant, maris Thyrreni insula, ab ora Italiae 40. ferè p. m. distans, in qua Tyberius Cæsar nulum Agrippinā post viri obitum, exilio multauit. Quæ ibi post flagra & graue oculorum discrimen, septem dierum inedia, decessit. Nam ante diem septimum lætalis non est inedia, licet vltra vdecimum pleriq; vixerint, vt lib. xj. cap. 53. Plinius docet. Hæc autem insula post Strabonis ætatem, multorum Martyrum & Christi confessorum exilijs, fuit insignis.

53. PANDATARIA, vide Palmarola.

9. PATAVIA, vulgo Passum, inferioris, ac fertilissimæ Bauiaræ vrbs Episcopalis, magnifica, & elegans, de cuius adpellatione ac nomine, cum nihil monumētorum superfit, certi nihil constat. Boioduri Ptolomeus, & Antonini Itinerarium, in Norici & Pannoniorum descriptione meminerunt (quanquā pleræque Antonini æditiones, Bolodurum legant) & complures Pataviam interpretantur. Alij verò eam adpellationem vrbi Oenanæ, ab Oeno fluuio hoc tempore cognominatæ attribuunt. Quibus & antiquissimus auctor, qui D. Seuerini vitæ conscripserit, suffragatur. Adde & hoc tempore vsitatum fluuio cognomen, qui extra vrbs Oenanam, qua meridiem spectat, ex vicinis molendinis, inter oppidi portam, proximumque D. Seuerini fanum delabitur, & Oeno ibidē permiscetur, Die Boietra cognominatus, qui argumentum minimè fallax suppeditant eam ipsam Oenanam vrbs, ab hisce fluuiolestijs, antiquitus Boiodurum cognominatam. Quo & ædificiorum accedit vetustas, quæ eadem vrbs Pataviensi longe antiquiorem, non obscure confirmat.

47. PETREIA, vide Saltzburgum.

27. PHILIPPOPOLIS.

50. PISAVRVM, ad Fogliam, olim Isaurum flumen in agro Piceno, vbi Adriaticum mare id ipsum absorbet, vrbs admodum elegans, diu imperio Malatestarum illustri familiae habitam constat, ex qua Malatesta Pandulphi F. mirificè vir cum doctrina, tum moribus exornatus, tres filios generauit, filiam vnam Paulam Mantuani Marchionis coniugem. Ex Malatestæ filijs Galcatius partim pretio, quod viginti millia aureorum nummum fuit, partim dotis Cōstantiæ nomine, Pisaurum, Alexandro Sfortiæ, Francisci, qui deinde Mediolani Dux factus, fratri tradidit, vt Corius & Sabellicus scribunt. Alexandro filius in dominatu successit Constantius, vir literis & virtutibus præditus, à quo plurimū vrbs ædificijs exornata fuit. Coniugem is habuit Camillam, illustrem ac eruditam mulierem, ex nobilissima stirpe Anagonicorum Neapolis, cuius nuptiæ, tam magnificum habuere apparatus, quam maximum Regi cuiquam potuisse fieri arbitror, quemadmodum ex illorum solennium auditu lectuq; iucundissima narratione, scripto vernaculo, per vniuersam Italiam diuisa, intelligere est. Iustos liberos Constantius non habuit, nothos autem duos, Ioannem atque Galcatium, è quibus natus maior Ioannes Philosophiæ studijs mirificè deditus, cum paternum principatum auctoritate Pont. Max. assumptum diu tràquillè gessisset, eo à Cæsare Borgia Pontificis Alexadri VI. filio deiectus est, qui & sororem illi suam Lucretiam à Pontifice desponsatam, abstulit, falso criminum quorundam in simulatione. Sed Alexandro Pontifice mortuo, cum à Venetijs, vbi aduersis temporibus constiterat, adducta simul vxore Geneue Theupola, lectissima optimaq; muliere, Pisaurū rediisset, humanissime est à popularibus exceptus, ac vrbs imperio aliquandiu mirifica cum lenitate agitato decedens, Constantium filiolum, ex Geneue successorem reliquit: quo non multo post etiam defuncto, mater spretis mundi vanitatibus, religioni D. Clare Morani virgineo multis annis vsque ad vitæ finem, operam dedit. Constantino mortuo, gubernationem Reipublicæ Galcatius patruus suscepit. Sed quoniā imperij confirmationem, à Iulio Secundo Pont. nullo pacto impetrari posse videbat, cum illo, bonis conditionibus ita de pactus est, vt vrbs in potestate esset Pontificis, à quo mox Francisco Mariæ Roboreo nepoti, pro magna vi pecuniæ, quæ ei nomine stipendiorum Ecclesia Romana debebat, omnium etiam Cardinalium voluntate & assensu collata fuit. Hinc post obitum Iulij, Leo X. successor, possessione spoliavit, vrbsq; dominatum Laurenzino, nepoti suo, tribuit, à quo in extremis fratri patrueli Iulio Mediceo Cardinali assignatus. At è vita deinde sublato

I N D E X.

sublato Leone post C. N. M.D. XXI. anno, Franciscus Mariae protinus ad pristinum Imperium reuersus, mirificaque suorum laetitia receptus, in eo, ad vitam usque, magna foelicitate ac inclyta iustitia fuit, similemque reliquit successorem filium, qui nunc superest, Guidubaldum.

56. Piscina mirabilis. vide L. Lucullus in Indice.

56. PISCINA MIRABILIS.

52. POLYSTEPHANON, vide Tybur.

53. PONTIA, siue vt multitudinis numero Diodorus lib. 59. legit, Pontig, Oenotrides Plinio, maris Thyrreni insula est, parua à Palmia 40. ferè p. m. discernitur, olim carcer fuit illustrium, quo à Nerone ex Germanico nepotem relegatum, & ad voluntariam mortem actum, Suetonius memorat: hodie verò ad fauces portus arcem habet. Hæc insula post Strabonis tempora, complurium Martyrum, & Christi confessorum exilijs, fuit insignis.

53. PONTINA Palus, in latio prope oppidum Velitras describitur, quam Vibius Sequester, Pontiniam vocat. Nomen à Pontia vrbe deductum existimat Strabo, quæ Romanorum olim Colonia simul cum Sueffa facta, quod & Liuius testatur. Fit palus ab annibus duobus, Aufido, vt Strabo vocat, aut Vfonte, vt Plinius, & altero minore. De primo Virgilius, Vfontem appellat, vel, vt alij volunt, Baudinum. De palude Pontina Plinius, eum locum xxiiij. vrbium fuisse tradit, idque Mutianum ter Consullem prodidisse. Nec, vt ego quidem puto, difficilis erit huius rei fides apud eos, qui Dionysij, Pictorisque monumenta legerunt, antiquis enim temporibus exiguae ciuitates, vt nunc vici, fuere, quamobrem facile credi possint oppida tot spatio p. m. vij. vel paulo maiori extitisse. Paludes hæc fertilissimæ, quondam Pometini campi erant, neglectis quippe vijs, quibus aquæ huc propter loca depressiora confluentes, in mare se prius exonerabant, neque stagnare, vt nunc, poterant, in hanc palustrem formam sunt redacti. Liuius à Cornelio Cethego Consule quondam egestas maiori ex parte & ad culturam reductas scribit. Postea tamen iterum, neglectis meatibus, effectæ paludes, quas Theodoricus rex Gothorum exciuit, vt in maris quodam loco posito, legi, Volaterranus auctor est. Nunc denuò nullo patente aquarum ad mare exitu, amnes fontesque plurimi vicinis è montibus orientes hic stagnant, & paludem ingentem faciunt.

56. PRATENSE Balneum.

56. PROCHYTA insula.

56. PUTEOLI, Vrbs Campaniæ felicis, Plinio, & alijs. Puz zolle hodie. Putioli legit Stephanus. Antea Dicæarchiam appellatam, scribunt Strabo, Pausanias, & Stephanus, qui eam quoque Dicæam vocat. Dicarchia apud Silium legitur. Delos minor, etiam nuncupata, vt tradit Festus. A Liuiio Puteolorum mentio sæpissime fit, præsertim autem, vbi Colonos eo deduxisse Fabium Max. vrbemque muniuisse, neque multo post, Annio consule referente, decretum à Senatu, Colonos in quinque ciuitates marinas, Puteolos mitti narrat. Alibi etiam Annibalem ad Puteolos, præteritu sacrificij profectum, sed Anioniam factam, scribit his verbis, Colonia ciuium Romanorum eo anno deducta sunt Puteolos, Vulturum, Linternum, &c. De Puteolis etiam in libro Coloniarum hæc leguntur. Puteoli Colonia Augusta, iter populo Romano debet ped. xxx. Ager in iugeribus veteraneis, & Tribunis legionarijs est assignatus. Plinius huius vrbis memoriam plurimis in locis vsurpat, quominusque Sil. cæruleum Puteolanum commendat, itemque natiuos, factitiosque colores referens, purpurissum, inquit, Puteolanum potius laudatur, quam Tyrium, aut Getulium, vel Laconicum. Sunt, qui nouam hanc vrbem dicant, & vetus oppidum Puteolos, non hoc in colle positum fuisse, sed aliquanto remotiore loco, vbi nunc ingentes ad huc ædificiorum ruinae supersunt. Leander contra, haud quaquam hanc recētem, sed ipsam vrbem antiquam putat esse, nõ modo situ reliquijs ventis ab huius collis radicibus olim incipientis, prætereaque veterim illo templo, quod etiam nunc media vrbe conspicitur, adductus. Quanquam multo quondam ampliorem fuisse, quam nunc sit, cum omnium antiquorum monumentis celebretur, minime negandum, ideoque verisimile, illa operum propinqua vestigia, vel partem vrbis aliàs, vel suburbia fuisse. Portus dein ad eius pedem, valde commodus, & tutus erat, quem opere factum, iactis in mare pilis, Strabo scribit. nam ad huiusmodi moles, puluerem huius agri, per opportunum est

se, quod cum alia materie mixtus, validissimè conglutinetur in aquis, atque solidescat. Cuius rei Vitruuius etiam testis est, ac item Plinius, his verbis de terræ varietate scribens. Quis enim satis miretur, pessimam eius partem, ideoque puluerem appellatum, in Puteolanis collibus, opponi maris fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem vnum, inexpugnabile vnde, & fortius quotidie, vtique si Cumis miscetur cémento. Puluerem quoque Romanum, qui è rupibus intemissis ad structuras hac memoria solet effodi, ab huius præstantia Puteolanum dici constat. Portus autem Puteolani vestigia fermè nulla supersunt, quod partim à mari occupatus sit, partim, vti alia plurima Regionis opera, nemine curante, per se, perierit.

PYTHECVSA: vide Iscla.

Q

41. QVEDELINBURGAM, vrbem antiquam, & primorum in Saxonia Principum decus, Crantius lib. 12. cap. 16. in sua Saxonia nuncupat. Eam Ernestus Saxonie Dux, Marchio Misne, oppugnauit, quod male ciues parerent dominae suae Abbatisse, quæ soror erat Principis memorati. Hac enim radice multa oriuntur bella, dum per superbiam subditi vocant in contumaciam præfidentem. Expugnauit ille & deiecit Rolandi statuum, quam pro signo libertatis ab antiquo habuere. Direpta est vrbs à militibus, & in extremam pauperiem, vnde necdum ciues respirarunt, perducuntur. Ruunt domicilia: nemo curat reparare, viuunt in diem, tempora terunt in labore agriculturæ, quæ si victum præstat quotidianum, diuites iam se computant: obligare sua prædia non sinuntur, vt redditum constructo alteri apud alterum, liberis possessionibus, mundas ab auerit manus habere præcipiuntur. Ita per solam contumaciam vrbs hæc antiqua corruit.

R

7. RHOTOMAGVS, Galliæ Narbonensis vrbs admodum vetus, hodie Rouen, ad celebre Sequanam flumen, quam Ammianus Marcellinus ex Berosi libris à Mago, secundo, vel tertio Celtarum Rege conditam, affirmat, abs quo & Galliæ complures aliæ vrbes nomen sumpserint, ac sub Rege deinde Rhomo, Rhomomagum, ac postremo Rhotomagum appellatam: Tota hæc narratio, vt vero consentanea, eruditus placet: Rhomi tantum nomen excipiunt, per suam habentes, ex Roto potius, quam ex Rhomo vrbem appellatam. Fuit enim Rothus idolum quoddam à S. Mellone Rhotomagensium Archiepiscopo euersum. Quo autem loco sanctus ille Præsul idolum euerterat, templum condidit, vel potius exstructum antea idolo templum, Deo vero, sub sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis nomine, consecrauit, in quo deinde Canonicorum Augustiniani ordinis, cœnobium institutum, hodie à sancto Loo, nomen habet. Nec verò absurdum videri debet hæc idoli appellatio, quam ex Rhomo dura: Cum & Gothi suum olim Deum haberint, nomine Rostarum, non nimium à Rotho dissidentem, qui Deus Gothorum Saturnus erat, quem non secus humano sanguine placabant, quam Galli suum Teuthatè, hoc est, Mercurium, de quo Lucanus, libro 1. belli ciuili. Robertus Cenalis, Aranchiorum Episcopus, in sua Gallia, inquit, Rhotomagum, non ab idolo Rotho adpellatam, sed à rubore Gallorum pontis cuiusdam, vrbi vicini, quod Roth, antiqua Gallorum lingua, rubrum significet. Eam verò sententiam vt confirmet, Ecclesiæ suæ tabulas, & codicillos adducit, vt certum & irrefragabile testimonium. Idem interea non rejicit Magi nomen, à Rege vrbi datum, quod & maximum in hac vrbe antiquitatis argumentum credat. Quod autem existimant quidam, hoc verbum, Roth, Germanicum esse cohortem significans, & ab eo ductum esse vrbi nomen, deduxerit: Magus Celtarum Rex, vrbe condita, eo Colonia deduxerit: de Colonia nihil plerique repugnant, sed, cum Magus, Gallus esset, inter Celtas natus, non autè Germanus, nec verò Germanicè Galli loquerentur, vix possunt credere, ex Germanico vocabulo, inditum vrbi nomen fuisse. Cæterum, vndeunque profectum sit Rothi vocabulum, nomen certe latinum à Rotho vrbi remansit, & tertio ab ea milliari, vicus est, in quo etiam illud idolum, adpellatum quoque Gallis, Montroth, quæ à Montis Rothus, hodie pellatus. Hinc intelligere est, vrbem hanc, quæ à primis Gallorum temporibus ortum habuerit, antiquitate, nulli,

††† 2 tota in

I N D E X.

tota in Europa cedere. Atq; illud mirum, istos ruinarum Troianarum ostentatores, subtilem aliquam rationem non excogitasse, qua Rhotomagensium etiam murorum auctorem, fugitium aliquem Phrygem constituerent. Cæterum, qui primi hanc urbem condiderunt, veluti præfagirec futuram eius amplitudinem, & ex negotiatione diuitiarum affluentiam, locum etiam ei delegerunt mercatui, & commercijs externarum gentium accommodatissimum. Ad Sequanæ videlicet ripas, nec longè à sinu quodam maris, qui suo refluxu urbis prope modum muros pulsât.

R I G A Liouoniæ fertilissimæ Metropolis, quam mercatorum Bremensium excitauit deuotio, illi siquidem aliquot verbi diuini præcones ad sacram in Liouoniam deduxerunt militiam, milites sine numero, ciues ac mercatores in hoc negotio militantes pro Christo, multi cæsi, terram suo sanguine sunt mercati, sæpe perpulerunt hostes crucis Christi obfides dare, pacis subire conditiones. Deniq; effervescente multorum deuotione, nouum inter se ordinem Crucigladiorum fratrum instituant, cuius quidem professionis, duo ex ordine fuere Magistri. Quorum primus Vinno, validas in Liouonia arces Segevoldam, Vvendam & Ascheradam excitauit. Et, dum annis xvij. præfuisset, à latrone domestico, cum facellano trucidatur. Alter Volguinus, arcem Vellinam construxit, ordinis Magisterium annis xv. tenuit, grauissimis bellorum agitatus procellis, in conflictu contra Liouones, cum decem & octo fratribus, cecidit. Deinde, ob nimiam barbararum gentium potentiam, Fratres ordinis Teuthonicorum implorati, venerunt in Liouoniam, anno incarnationis dominicæ, 1228. Quorum ordo Gladiocrucciatorum societatem absorbit, quæ vltro in professionem ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum transijt, quorum habitus, pallium album, nigra cruce infusa, à primo militiæ Teuthonicæ Magistro, Hermano Valck, siue Balck, in Liouoniam transfertur. Illi autem hanc regionem multo tempore felici gubernatione tenuerunt. Cæterum, quod vehemèter equidem dolendum, & non Reualiensibus, atque Rigenfibus modò, cæterisque, quos Ruthenorum nondum occupauit crudelitas, Liouoniæ vicis, arcibus, & oppidis, vnicè defendendum. Statim ab initio coniunctionis istius nouæ, priuati commodi studium, intestina dissidia, æmulationes, florentissimarum societatum & urbium pestes perniciosissimæ, de urbis Rigenfis, & totius Liouoniæ inter Episcopum Rigensem, & ordinem rixas excitant. Illi, potentiam & vires, quas contra communes patriæ hostes exercere debebant, in sese mutuis dissidijs, acceptis & illatis cladibus, conterunt. Hinc primo bellum apertum est natum contra Rigenfes & ordinem, anno 1298. & ab oppidanis Teuthonicorum Magister Bruno, cum LX. ordinis fratribus est cæsus. Nouo deinde orto dissidio, Rigenfes Dunemundam ordinis Vicum euerunt, in plurimos promiscui sexus, & diuersæ ætatis homines, immaniter desquunt. Quare ab Euerhardo de Monhem, Riga arcta obsidione septa, ad deductionem coacta, auita priuilegia amittit, murorum & portarum spoliatur auxilio, arcisque ædificatione ab ordinis Magistro compescitur. Rursus, ob nouas seditiones domesticas, ab ordine, Riga obsidetur, quæ Stephano Archiepiscopo suo ferente suppetias, acerrime patriæ libertatem defendens, profligatis hostibus, Arcem Rigensem & Dunemundam funditus euertit, ordinis Magister, ob iniquum Rigenfibus illatum bellum, à Pontifice Romano Sixto, eius nominis quarto, excommunicatus, à Præfectura deijcitur. Paulò post, anno salutis 1495. Adolphus de Plettenborch, nouis viribus Rigenfes adigit, vt proprijs impensarum sumptibus, arcem, quæ Rigæ demoliti erant, restaurarint. Dunemundam, proximum Rigæ castrum, Vvendam similiter, ad hostiles sustinendos impetus, muniuit. Anno demum 1556. Rigenfes & Teuthonici fratres, aperto Marte rixantur, quibus quidem domesticis Christianorum, Moscusi, inuitatus dissidijs, facili nunc negotio, de vniuersa fere Liouonia triumphat. Atque has quidem calamitates, ab his est Riga perpeffa, qui eâ initi fœderis, & religionis causa, defendere & tueri debebant, cum funesto etiam eorundem ipsorum interitu. Qui, quam crudeles in rusticos tyranni extiterint, quàm misera eos seruitute vexarint: (quàmquam tamen sint, qui scribant, id duram ipsorum ceruicè poposcisse: quàm segniter hostiles sustinuerint impetus, quàm potenter & strenuè Bacchum, noctu dieq; coluerint, quãtos, in priuatos suos, thesauros conuerterint, quàm tupi fuga elapsi, quàm hosti arces omni commeatu, & ad diuturnas obsidiones, rebus necessarijs instruitas, patentes reliquas, non potest sane referre. Ad hæc. Vulcani quoque rabie anno 1557. grauitè Riga deformata fuit, vt mirum sit, moder-

nam adhuc eius Reipub. formam posse subsistere. Cùm Moscusi potentissimus hostis, Rigenfibus, & maximè Reualiensibus, grauitè immineat, occupariq; octuaginta præcipuas nobilium arces, quarum ipsi præsidio ante Liouoniam gubernabant, Moscouiam exercitu impetebant: Iam verò nihil Christianis in Liouonia sit reliquum, præter ditionem Haringensem cum vrbe Reualia, Churlandia & Semigallia, cum oppido Rigenfi, & arcibus fortasse tribus, aut quatuor, quas Deus Opt. Max. potenti dextera sua, clementer tueri dignetur.

9. ROMANVM Opp.

31. ROTTERODAMVM oppidum, in ostio Rotteri fluminis, à quo & nomen habet, in Hollandia situm, literatis hominibus maximè semper celebrandum & venerandum, eò, quod magnum illum Erasmi, de re litteraria quàm optime meritum, parente Goudano pastore, ediderit.

8. RVBECLARA.

17. RVRAEMVND A, Geldrici Ducatus Metropolis, oppidum quondam perelegans, habitatore admodum humano cultum, à quo nunc fere omnino, ob bellorum furiosum desertum, occupantibus nunc id præfidiarijs militibus. Ab Otthone, eius nominis tertio, cognomèto Claudio, penultimo Comite, sub quo Geldrici Ducatus, maxima incrementa sumpsit, Ruræmundam, tum temporis pagus, cum alijs plerisque vicis, murorum ambitu cingitur, & ciuilibus donatur priuilegijs. Oppidum est nunc ædificijs ciuium, & religioni nuncupatis, celebre. Est ibi Monialium cœnobium abs Gerardo sexto Geldrici Comite fundatum, qui cum coniuge Richarda Nassouica, ibidè sepultus est. Idem & Carthusianorum, & Minoritarum cœnobium, primæuà foundatione constituit. Quorum alterum, Minoritarum videlicet, à Reinaldo, vltimo Geldrici Ducatus Comite, dotatum. Qui & ius cudendæ monetæ, à Cæsare Rudolpho, Ruremundanis obtinuit.

S.

47. SALT ZBVRGVM, vetustissimum Norici oppidum, nunc cultissimæ Bauariæ Metropolis, Iuuauia dicta, à Iuuando, eò, quod sal iuuat. Alij à Iuuaro flu. Teutonice, Die Saltz. Vnde Otto lib. v. cap. iij. Virgilium quendam vocat Episcopum Iuuauientem. Dicitur & Petreia: à Ptolemæo Gamandurum nuncupatur. Hanc ciuitatem Iulius, victis Germanis, ac secūdum aliquos, arcem ibi, Teutonice, Zelffenburgi cõdidit. Attila hanc destruxit, verum à Roberto ipsorum Episcopo, Anno Domini Octuagesimo supra Millesimum, instaurata est. Hic Episcopus, quem Patriarcham nos vocamus, residet, & altare, cuius simile non videri credunt, cernitur. Aeneas Iuuauientem, & Arninensem dicit, ait, Metropolitanam insignem inter Bauaros, opibus & auctoritate memorabilem urbem. Antoninus Pius, in Itinerario, huius urbis meminit, eam Iuuauiam dicendo. Alij etiam hanc urbem, Budacum dictam fuisse à Ptolemæo, adferunt. Hæc Franciscus Irenicus lib. xj. Exegeseos Germania. Solo optimo, montoso, & metallifero hæc vrbs gaudet, de quo hunc in modum Celtis cecinit.

*Qui mihi de celsis nuper fuit Alpibus actus
Oenus vbi, atq; Athesis, murmur a rauca facit,
Argenti aeterno scaturit qua vena metallo,
Et dicat totam patriam Alemanicam:
Hic halant liquido puro & de fonte salina,
Ditantes Bauaros, Austriacosq; Duces.
Hic turba est tetra, nigraeq; similima morti,
Qui soluunt vastis ignibus æra suis.
Haud credas nostris decocta metalla per ignem,
Sed Phlegetonis mundificata vadis.*

57. SCROBES charonæ.

51. SEPTENILIVM, oppidum cum castello, in finibus vtriusq; Hispaniarum, & Granatenfis Regni positum, postremo Granatenfi bello in Ferdinandi Regis potestatem deuenit. Existimabatur namq; Hispani, id oppidum, quia limetaneum, tentari debere, quo expugnato, hostium vires fierent tenuiores. Igitur Rex cum exercitu cohortibus ordinatis, à Corduba profectus, Marchionem Gaditanum cum duobus equitum millibus, & conuenienti peditatu præmittit, qui, vt fieret certior, quo in statu oppidani essent, curauit ex pastoribus, & rusticis aliquot comprehendere, à quibus accepit, nullos esse hostes, sed castelli tantum incolas, & habitatores, qui tamè putarentur ad mœnia, munitionesq; tuendas posse sufficere. Rixis deinde tabernaculis, machinisq; & tormentis suis in locis dispositis,

I N D E X.

dispositis, machinarij, & tormentorum præfecti, opus suum aggrediuntur, perq; dies tres, noctesq; continuas, non cessant maioribus tormentis turres, murosq; quatere, minoribus vero intra muros faxeos orbis passim intorquere. Principio cum obsiderentur, ceperunt cum Hispanis pugna simulachra commiserere, sed, cum viderent, se non esse numero pares, & sagittarum ictibus, & sclopetarum glandibus ex paucis in horas pauciores fieri, statuunt continere se intra munitiones, portas oppidi non solum obserant, sed struunt operi ex lapidibus & mortario claudunt. Cumq; intellexissent, parari oppugnationem cui non possent resistere, cum viribus & armis non sufficerent, ceperunt de se dedendi conditionibus agere. Quod facile impetrarunt, quoniam ex direptione præda tenuis erat, & non tanti aestimanda, ut vel uno die tantum exercitum uno in loco immorari oportuerit. Iussi sunt igitur ex conditione, ut bonis suis suffarcinati, abirent, datis custodibus, qui illos ad Arundem usque terminos deducerent. Rex oppidum ingressus, murorum ruinas instaurari iubet, oppidi præsidium cum ducentis equitibus Francisco Enriquez commendat, quos armis, & alimentis instructos relinquit, &c. Hæc ex Antonij Nobrisensis lib. 3. decadis 2. de rebus Hispanicis.

57. SIBYLLAE Cumanæ antrum.

56. SINVS BAIANVS, Maris inferi, prope Neapolim, Crater à Strabone dicitur, eumq; inter Athenæum, & Misenum Promontorium describit. Idem dicit eundem ab Erathostene, Cumanum nuncupari: sunt, qui eum hodie Golfo di Napoli, dici credant. Baianus, à Baiarum oppido, qui cum propter summam cæli temperiem, & luxuriantem agrorum amœnitatem, tum ob varietatem aquarum salubrium tam frigidarum quam calidarum, frequentissimus olim Romanorum ædificijs, & Potentis commendatissimus fuit. Hinc Martialis ad Flaccum:

Vt mille laudem Flacce versibus Baias,

Laudabo digne, non tamen satis Baias.

Quemadmodum & Horatius scribit:

Nullus in orbe locus Baijs præluet amœnis,

Hic ver æsiduum, atq; alienis mensibus æstas,

Bis gratiæ fruges, bis pomis utilis arbor.

Atq; hæc quidem Campaniæ delitiæ, inuitarunt Romanos, ut Baianum sinum, & loca passim vicina, superbissimis ædificijs exornarint. Nam, à Mortui maris ostio, per oram Baiani sinus ad Auernum, inde usq; Puteolos incedenti, tot eo tractu, magnificarum ædium, operumq; tanquam perpetui vici, ruinae conspiciuntur, ut inde satis manifeste constet, eum tractum olim urbibus, oppidis, vicisq; ac villis, item balneis, theatris, molibus, cisternis, aquæductibus, cryptis, cauernis, specubus, ac id genus magnificis, & sumptuosis operibus prope continuis, olim refertum, & quasi consitum fuisse, ut incredibile putè relatu, & certo mihi persuadeam, narrationis hæc fidem excedere. Quippe, quoniam (ut Blondus etiam ait se sentire) nulla, totius Europæ parte, Roma tantum excepta, plures, maioresq; ruinas inueniri posse, persuasum habeo. Sumptuosissimorum etiam operum partes, pilæ ingentes, & fundamenta in æquore tantæ magnitudinis, & admirationis apparerent, ut curiosa equidem ingenia planè cogant obstupescere, adeoq; nunc orbis terræ vires, opestq; cunctæ, tot operibus extruendis, haud suffecturæ videantur. Quorum hæc ætate, nullum omnino superest integrum, omnia quippe, vel occidere, vel mari hausta, ut hinc insigne liceat exemplum fragilitatis rerum humanarum desumere. Baiarum etiam in hoc sinu vestigia sunt, ingenia nimis mirum pelago demersa operum fundamenta. Urbis interitus à vi terræ motuum exorsus est, qua de causa, paulatim emigrantibus colonis, tandem omnia marini inuasere fluctus, ut adeo iam nullum hic integrum ædificium superstit, præter balnea quædam iuxta vicinas rupes, vbi plurimæ quoq; cauernæ cernuntur.

56. Sinus Lucrinus, vide, Lucrinus sinus in Indice.

56. SINVS PVTEOLANVS.

21. SLVSA, celebre quondam Flandriæ opp. ob frequentia, cum vicinis Brugenibus dissidia, re ac opibus lapsum est. Ex aduersum huius oppidi posita exigua insula, nomine Cassantia, in qua & eiusdem nominis pagus, multo pridem maior erat, cum & urbem haberet, & pagos complures amœnos, ac diuites. Ad hanc prælia naualia, diuersis temporibus multa commissa fuerunt, cum eo fere semper Fladrorum aduersarij Britannij, Bataui, & alij quiuis ad portum adpellerent. Sed partim Oceani tempestatibus, partim eiusdem fluxu, & refluxu, plus dimidia parte, ea insula consumpta est. Hinc prodijt Georgius ille Cassander, homo doctissimus, & scriptis, aduersus Anabaptistas & Caluinum, libris, clarus.

58. Solfataria, vide Forum Vulcani.

57. SPIRACVLVM mortiferum,

57. SVDATORIVM S. Germani.

58. SVLFATORIA, vide Forum Vulcani.

37. SVSATVM, copiosa & elegans Vvestphaliæ vrbs, Canonicorum sodalities præstans, & agro, rerum omnium ad vitam necessariorum copia, dempto vino, feraci, cuius oppidani inopiã, præstanti cereuisia leuant, quæ in Vvestphalia passim, tum hic Susati, delicata coquitur. Hæc autem eius Germaniæ Gentis vrbs non ignobilis extitit, unde omnium Europæarum insularum celeberrima, denominationem, hoc etiam tempore obtinet. Angari quippe, siue Engeri, quos Hufredus Lhuyd, Anglos; Volaterranus autem, Angilos nuncupat, populi fuerunt Germaniæ admodum celebres, adeo, ut, adferente Crantio, Saxoniarum Duces, longo etiam tempore Angliarum Duces vocarentur, quos Britanni, cum à Pictis Scotisque molestarentur, in auxilium euocarunt, qui quidem terræ amœnitate bonitateque inuitati, eos ipsos, quibus contra hostes tulerunt suppetias, circumuenientes, Insularum bona inter se sunt partiti, unde Britanni, postmodum sunt Angli nuncupati, qui leges, etiam hoc tempore, antiqua Saxonica lingua, quam ipsi Angli modo non intelligunt, conscriptas habent. Hi autem, ipsos Germaniarum populos, Saiffon, & linguam ipsorum, Saiffonaeg appellitant. Et, ut ex Anglia iam in nostram tandem redeamus, quæ Susato commendatur, Vvestphaliã, Angarorum extat satis manifestum vestigium in castro Engeren, inter Osnabrugum atq; Heruordiam, sedes olim extitit Saxoniarum gætis, quæ vniuersam occupauit Britanniam, cuius primariam fuisse urbem Susatum, ex fide digno auctore, in ipsa enarratione retulimus.

35. SVVOLLA, vrbs Transilvana celebris, vbi initium Bructerorum, in superiore parte Traiectensis dittonis, Arnoldus Vvesalius, in sua Germaniarum partitione assignat.

T

56. Templum Bauli Herculis, Vide Herculis Bauli templum in Indice.

54. TERRACINA, vide & Anxur in Indice.

Teuthonicorum ordo, quando in Liuoniam venerit, & Crucigladiorum ordinem absorpserit; vide Rigam in Indice.

Teuthonici milites quando & cur Liuoniam deseruerint. Riga in Indice.

Teuthonici ordinis & Rigenfium bella: consule Rigam in Indice.

13. THENAE, Brabatiæ opp. Canonicorum collegio, & quod verè elogium, viris bonis commendatum, eod, quod mercaturæ, & delitijs, non nimis laxas habenas concedant, sed, quia cum primis parentibus nostris, rei rusticæ, pecuariæ & agriculturæ questu, contenti viuant, facultatesq; suas, honesto ruris labore comparent. Vnde ob lætam agrorum vbertatem, & omnium rerum ad vitam necessariorum copiam, ab ipso statim Franco rum initio Principes viri his maximè locis egerunt. Ac inter cæteros Carelmannum, & Pipinum primum in ijs natos esse, ac nomen ab oppido Asbania vetustissimo sumpisse, quod, Landas vocatur (non procul à Thenis distat) quasi dices, Regionis alimentum: eod quod caput esset eius regionis, quæ ab alimento, populisq; Asbania nominatur. Ager itaq; Thenensis, & bonitate, & vetustissimis Carelmanni, & Pipini incunabulis, præstans est, & valde nobilis, eod, quod ab his Principibus Caroli Magni progenies, & omnium deinde, & Ducum, & Regum, & Imperatorum, usque ad Hispaniarum Regem Philippum, noui orbis Monarcham, longa multarum ætatum serie descendat. Adeo, ut nulla sit in toto orbe terrarum nobilitas, quæ principia habeat tam augusta, quæ continuationem generis, vel tot sæculis productam, vel tot rerum gestarum decoribus insignem, quæ deniq; præsentis temporis maiestatem tot regnis, tot imperijs, tot insulis, tot diuersarum linguarum populis habeat extensam, & ornatam. At ager, non solum Pomonæ magna varietate, & Liberi patris diuino liquore, & Cereis beata fruge, & Palis pinguisimo munere luxuriat, sed nobilissimus etiam & Sabarij, siue Zagrai, vetustissimi Proserpinæ filij, letissimis poculis, quibus curæ, & graues molestiæ, multo magis, & præsentius, quam iunioris Bacchi dono discutitur. Hogardica enim cereuisia, nihil est ad cerebrum tristibus cogitationibus exuendum presentius, nihil ad hilaritatem, ad carmina modulanda, ad amores, & cætera, quæ largos vini cyathos sequuntur, plus habet incitamenti, nihil in tota hac regione celebrius, & notius ijs, qui citra magnum crumenæ dispendium

†††† dispendium

I N D E X.

dispendium, insanire volunt.

57. THERMAE Anianæ.

52. TIBYRIS, vide Tybur.

44. TIGVRVM, proximis aliquot sæculis Turegum dictum, vulgo, Zurich/Heluetiæ vetustissima est vrbs, sita in amœno loco ad exitum lacus magni, qui hîc definit, excluditque amnem Lindmagam, vulgo Limnat dictum, quem haud procul à Glarena recipit, & diuidit vrbe in duas ciuitates, maiorem & minorem, quæ tamen tribus coniunguntur amœnis pontibus, in quibus frequentes ciuium fiunt deambulationes. Solû per circuitum ciuitatis est valde fecundum, feraxq; vini & frumenti plurimi. Vinum tamè plerunq; est subacerbum, nec potest ob vicinas alpes, ad perfectam peruenire maturitatè. Maturescit vinum, seu potius mitescit à sua austeritate, post aliquot annos in penu conseruatum. Extenditur mons ad orientem ciuitatis & lacus, ferè ad tria miliaria, perpetuis confitus vitibus. Est quoq; in vrbe amplissimum frumenti forû, quod vndiq; aduectum, & distractû, per lacum Tigurensem ducitur ad loca Heluetiorum superiora, præsertim ad Glaronâ. Quin & ex eo lacu in alium transportatum lacû, quem vulgo Vvalstertensem lacum vocant, qui longitudine duorum miliariorum Germanicorum inter altissimas & præcipites rupes, & montes patet, transfuehitur ad Curiam, & Grifones ipsos, itinere 10. aut 12. miliariorum. Est autem forum illud hebdomadarium. Quàm bonis piscibus abundet lacus Tigurinus, præsertim assatilibus, nouerût hi, qui in hac vrbe fuerunt. Quando verò, & à quo, prima huius vrbs iacta sint fundamèta, mihi non constat. Maior Ecclesia Canonicorum fuit fundata ante tempora Caroli Magni, Deinde idem Carolus auxit foundationem illam circa annum Christi 810. vocaturq; Ecclesia præposituræ sanctorum Felicis & Regulæ. Anno Christi 853. Ludouicus Rex Germaniæ, nepos Caroli Magni fundauit Abbatiam dominarum, quæ vulgo vocatur *Strauwen Münster*/ex patrimonio Ruperti Ducis Alemanniæ, quod ille designauerat, & tradiderat Regi Ludouico, etiam si idem Ludouicus ex bonis suis non nihil quoque cõtribuerit. Prima Abbatissa vocata fuit Hildegardis, filia iam dicti Ludouici. In litteris huius foundationis, vocatur ciuitas ista Turegum in Ducatu Alemannico, in pago Turgaucensi. In fundatione illa loquitur Rex Ludouicus in hunc modum: Nostram Iurisdictionem, & præfecturam in Turego, in Ducatu Sueuiæ seu Alemanniæ, quæ est in circuitu Turgoiæ, cum omnibus attinentijs & dominijs pertinentibus ad hanc præfecturam, præsertim cum regione Vri, & Forefo, quod Albis vocant, donauimus dominarum monasterio, quod situm est in oppido Zurich, vbi deinceps religiosæ scemina suscipiantur, & conseruentur. Pater no quoq; animo moti, designauimus & tradidimus prædictû monasterium cum omnibus attinentijs prædilectæ filia nostræ Hildegardi, in proprietariû, vt memoratis sceminis præsit, easdemq; sub sua disciplina, regula & ordine teneat. Datû 19. Augusti, anno 20. nostri regni Austrasiæ, in ciuitate Ratispouensi. Multis postea elapsis annis, circa annum scilicet Christi 1083. liberata est vrbs ab administratione Ducatus Alemanniæ siue Sueuiæ.

52. TIVOLI, vide Tybur.

36. Tracanaria Crypta; vide descriptionem Montis Miseni in Indice.

15. TRAIECTVM ad Mosam, elegãs & celeberrimi nominis vrbs, originem à Romanis, ex Geropij Becani sententia, sumpsisse videtur. Cùm enim illi bis ad Varucam, aduersam fortunam passim essent, semel legione, & cohortibus quinque cæsis, & rursus Cicerone in præsidio locato, duabus cohortibus à Sicambriis repentino impetu deletis, castrisq; summo metu conturbatis, videntur existimasse, geniû loci Romanis infensum, hæc mala inflixisse. Ex eo igitur tempore, videtur Varucam non amplius placuisse ad castrorum metationem. Quò verò post Iulij discessum sint translata, locus ad Mosam proximus Traiecto, commonefacit: cui Castrer, hætenus nomen mansit. Neq; enim verisimile est, locum illum, quo Mosam ponte traieciatur, citra præsidium maximum fuisse: imo cõtra, credendum, Romanos & pontis & oppidi auctores tum temporis fuisse, cum huc castra sua transfuissent. Nam Traiectum vrbs nomen, à traieciendo flumine videtur factum: quamquam nescio, vnde Ammianus Marcellinus acceperit, Obtrincense Mosæ oppidum, quo Traiectum super Mosam situm, intelligere videtur, nisi forte id mutuatus sit à Thungris, qui Traiectum in *Tricht*/mutarant. Et, quia Traiecti nomine, duo oppida vocabantur, alterum inferius apud Batauos, alterû superius in Thungris, hoc *Opperticht*/id est, superius Traiectum, & syn-

coptòs, *Optricht* vocarunt, è quo Obtrincense oppidum, Marcellinus fecit: illud *Wterstricht*/id est, exterius Traiectum, & concise *Wtricht*/nominarunt. De Traiecto ad Mosam à quibusdam annotatum est, eius adolecentes præcoci quidem esse ingenio, sed raro ad litterariam frugem peruenire. De diuturna huius oppidi obsidione, & quonâ pacto, Illustrissimo Parmensi Duce, belli præfecto, tandem expugnatum fuerit, alio quandoq; loco, dicitur.

7. TRIDENTVM, ciuitas in finibus Venetiæ Prouinciæ, inter montes in planicie posita est, muris vallata lapideis, quam ex Septentrione abluit Athesis fluiuius, ambitu miliaris Italiæ. In ea vias latas & lapidibus structas, domos verò ita honorificas cernas, vt nouam, non veterem ciuitatem præ se ferat. Templâ satis pulchra conspicias, sed in omnibus ijs parû structuræ. Arcem habet conspicuam, vt domum auream dicas potius, & quam possint, & Imperatores, & Reges per commode inhabitare, à Bernardo Clesio Tridentino Præfide auctam & illustratam, non multos ante hæc annos. Influit placide in vrbe per muros ab Oriente aqua riuus, super quo ædificia fericea, & molæ frumentariæ multæ sunt, vnde item plurimi riuuli deducuntur per medias vias in vsum, & publicam comoditatem. Super Athesim ad portam quæ dicitur S. Laurentij, Pontem habet magnificum, sed ligneum, centum & quadraginta passuum longitudinis. Montes circum se habet niuibus continue obritos, scopulosos, inaccessos, præcipites, & ita præaltos, vt dicas, cælum summam montium cacumina contingere. Fauces habet duas, quarum altera vergit ad Septentrionem, altera verò ducit Veronam. Planitiem admodum paruam, sed ridentem, & arborib. & vitibus mirum in modum confitam, quam Athesis circuit, & lambit vndequaq;. Promiscua habitantibus lingua, scilicet, Theutonica & Itala, sed Itali omnes etiam, cum placet, Theutonice loquuntur. Tridentum Germanorum sentina, Italarum verò refugium est, cùm quid infortunij illis occurrit. Parum frumenti, sed plurimum vini, per suaue habent, album & subrubeum. Per æstatem cælum temperatum est, diebus autem canicularibus, sol apprime feruens. Hyberno verò tempore, propter niuium & glacierum ingentes horrores, vix huiusmodi regio habitari potest: neq; satis sunt hominibus hypocaufta ad depellenda frigora, quæ eo tempore tam magna sunt, vt nõ sinant aquas in terram descendere, sed statim venientes, conuertant in niueis. Et, quod datur miraculo, vt putei ipsius ciuitatis, per tempus id, aquis omnino careant. Boves & vaccas pro mulis, asellis, & equis onerarijs habent, cum eorum plaustris, tam ad res conuectas facilibus, vt ad montium cacumina sic properent, ac si essent in planitie, à viarumq; publicarum curatoribus ita iuga aptata sunt, vt vsq; ad culmè accessibile, quorumcunq; montium ab eisdem iri possit. Nunc demum ciuitas ista & opulenta & clara effecta est propter Concilium, quod in ea fuit per plurimos annos. Nam hîc conuenere quinq; primum Cardinales Præsidentes & Legati Concilij pro Pio III. Pont. Opt. Max. Duo similiter Cardinales, Lotharingus & Madrutius, Patriarchæ tres, Archiepiscopi XXXIII. Episcopi CCXXXV. Abbates VII. Ordinum Generales VII. cum Theologis CXLVI. & vltra, Ferdinandique Cæsaris, Regis Galliar, Hispaniarum, Portugalliar, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Venetiæ, Septem Cantonum, Heluetiorum, Bauariæ, Sabaudiar, Florentiar, & aliorum Principum Ecclesiasticorum Oratores.

56. TRIPERGVLANA BALNEA.

56. Trituli Balneum, in sinu Baiano, Ciceronianum est, nõ solum ex opinione vulgi, verum etiam ex Bocatij sententia. Enim verò, Cicerone viuo, nondum hos fontes, apertos haud ignoramus. namq; post eius excessum, Antistio villam possidente, primum erupisse, carmineq; Tullij Laureæ Ciceronis liberti, celebratos, Plinius auctor est. Locus elegantiam miram habet, cryptaque mirabili artificio in saxum excauata est, vbi & imagines erant, manus ad affecta loca corporis tenentes, quibus aquæ facultas auxiliatur: nunc autem maiori ex parte disiecta sunt omnia, nobilissimorum tamen colorum, quibus ædificiû depictum fuit, adhuc argumenta supersunt. Fõs interdiu semel, ac item noctu, cum occasu exortuq; Lunæ, calidam ac fumantem aquam in balnei lacum emittit, quo impleto, pars in mare, quodam riuulo defluit, pars ad fontem reuertitur. Supra balneum Ciceronianum eadem in rupe graduum aliquot ascensu, rypa reperitur, opere excisa, altitudine pedum VI. latitudine V. sed in longum sinuoso anfractu plurimum extensa, suaue & iucundum exhalans odorem, quam si quis erectus ingrediatur, repente ferè sudabit, si pronus, & ad solum inflexus, refrigeret. Vterius, ad dextrâ vergenti,

genti, aqua purissima, sed pene feruens, ex tactu vix innoxia, offertur: quam plerique credunt in infimum balneum occultis vijs diffluere. Ad eam accessus huiusmodi est. Duobus tantum ad laeuam passibus emensis, in dextram declinandum est, quo itinere lapis ingens offenditur, quem Caballum nuncupant: eo transito calidus puluis calcatur, vsque ad cryptam finē. Redeundum inde eō, quā in hāc cryptae partem est introitus, ibiq; lacuna profunda lataq; cernitur. In propinquo apparet specus ad meridiem vergēs, ingressu vitandus: quippe, si quis aliquantum in intima procedat, absq; caloris vel frigoris excessu, absque vento, vel motu aeris, vertigine concideret mortuus, caloreq; sursum exaestuante simul cera candelae deliquescet, simul lumen sponte deficiet. Sudatorium hoc, quod descripsimus, humores purgat, capiti ac ventriculo auxiliatur, rheumata curat, pituitam educit, corpus alleuat, hydropticis & podagricis vehementer cōfert. Ad dextram spiracula quaedam apparent, vnde crassi cum aestu vapores, exhalantur fummi modo feruentis aheni. Priscis huiusmodi thermæ vehementer probabantur, quia sudorē sine quouis alio adminiculo prouocabant, & vt quibusdam placet, fricatoria dicebantur, quod etiam in ijs sudor elici fricatoribus soleret. Alia præterea sunt hoc tractu balnea, Baiana dicta, quæ nunc omitimus. Omnia memorat Strabo, cum apud Bayas aquarum calidarum fontes, nō solum affectū valetudini multifariam auxiliantes, sed etiam voluptati atq; detitijs opportunos erumpere perhibet.

Tuscum mare, vide Tyrrenum in Indice.

52. TYBVR, siue Tyburtum, vrbs Latij est in Italia, sedecim millibus passuum distans ab vrbe Roma, Tibyris Stephano, Tiuoli hodie, olim, Polystephanō vocatam, idem Stephanus prodit, quam teste Solino, ex auctoritate Catonis Catilina Arcas, præfectus classis Euandri, condidit. Quod etiam sensit Seruius. De Græcia (inquit) tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tybur vel Tyburnus. Hi simul omnes vnam fecerunt ciuitatem, & eam de fratris maioris nomine, Tybur appellauerunt, licet & alias fecerint singuli. Hactenus Seruius lib. Aeneid. 7. Tybur autem Virgilio dicitur Superbum: id est, nobile, inquit Seruius: aut per trāsitum tetigit illud, quod aliquando quum auxilia à Senatu poscerent Tyburtes, sub cōmemoratione beneficiorum, hoc tantum à Senatu respōsum acceperunt: Superbi estis. Hæc Seruius, explicans illud Vergilij lib. Aeneid. 7.

*Quinq; aded magna positis incudibus vrbes
Tela nouant, Atina potens, Tyburq; superbum,
Ardea, Crustumeriq; & turrigera Antenna.*

56. Tyrrenum mare, quod Plinio auctore Tuscum, Notiū, & Inferum etiam vocatur, Liburnum Cicero, Tosco Leāder, vocat, quia Tusciam nobilissimam Italiæ regionē alluit, quæ Seruio auctore, quondam sit cognominata Tyrrenia, hinc eam appellationem sortitum existimāt. vel à Tyrrenis nauitis, qui se in hoc mare præcipitauerunt. hoc namque habet fabula: Dormientem in littore Liberum patrem, puerum nauitas abstulisse Tyrrenos, qui cū esset experrētus in nauis, quo duceretur, interrogauit. Respōderunt, quo vellet. Liber ait: Ad Naxum, insulam sibi sacratam, sed, cum alio vela deflētent, iratum numen, tigres sibi sacratas, visibus eorum obiecit, quo terrore se illi in fluctus dedere præcipites. Hæc Seruius in lib. 1. Aeneid.

V.

25. VALLENCENAE, elegans Hannoniæ vrbs, Trullæ fluiui oleo infidens, medium regionis fere occupat. Admodum munita, atq; aduersus hostium insultus tutissima. Plebs opulenta, plerumque rem faciens ex telg quodam genere, quod vernaculē Sayam appellant, cuius ingens ibi copia conficitur.

53. VELITRAE, per antiquum Latij oppidum, Liuius, Belitra, Leandro & alijs Belitres; quibusdam etiam Blietri, situ est in colle periucundo, vnde pleræque Thyrreni maris insulæ, Pōtia, nimirum & Palmarola, scriptorum monumentis celebres, iucundissimo oculorum intuitu, conspici possunt.

17. VENLONVM, oppidum Geldriæ ad Mosam flumen munitissimum, bellica gloria, iam olim nobile, vbi anno Salutis M.D. XLIII. certis conditionibus pax facta est, inter Carolum V. & Guilielmum Cluiæ Ducem.

49. VERONAM, inter vrbes Italicas non minimam fuisse, videre quidem, vel hoc tempore licet, ex ijs, quæ adhuc extant, & quasi viuunt, partim ex ijs quæ temporum, & bel-

lorum iniuria quodammodo interiire, historiārum autem monumentis, etiamnum recondita, adseruantur. Cōmendandi autem merito veniunt, qui tam opportunam, maxime futuræ vrbi sedem, delegerūt, vbi amoenissimus latē labitur Athetis: colles placidissimi adiacent, fecundissimi latē se campi protendunt. Primi autem conditores quānam fuerint, diuersa grauisimorum scriptorum auctoritate disputatur. Alijs eius originem Gallis, alijs verò Thuscis concedentibus. Illi, Liuij, Trogi, & Iustini sese verbis tuentur, lib. xx. His autem Galis (dicentis) causa in Italiam veniendi, sedesq; nouas quærendi, intestina discordia, & assidua domus dissensiones fuere: quarum tædio, cū in Italiam venissent, sedibus Thuscis expulerunt, & Mediolanum, Cornum, Brixiam, Bergomum, Tridentum, Veronam, Vincentiamq; condiderunt. Thusci quoq; Duce Rheto, auitis sedibus amissis, alpes occupauere, & nomine Ducis, gentem, Rhetos, appellauere: Alij, Catonis, & Sempronij innituntur sententiæ, quorū ille, de originibus libro, Alpes omnes, inquit, Italiæ, Colonias Thuscorum fuisse, incolæ asserunt, & ab ipsis vel Ducibus, vel capitibus originum nomina gentibus, & locis indita, vt Rhetij à Rheto Rege Lydorum, & Veronenses, à Vera, Thuscorum Colonia, Sempronius autem similiter scribit: Hinc circa Larium Lacum, à Principibus dicta Vallis Vulturena, & Verona à Vera Thuscorum familia. At grauisissimi isti scriptores, etsi verbis dissidere vdeantur, re tamen ipsa, Cato cum Sempronio, & Trogus cum Iustino non dissidere, comprobari poterit, si res tota cōsideretur. Illud itaq; in primis constare debet, Transpadanam omnem regionem antiquissimorum Thuscorum sedem fuisse, quod & Sēpronius affirmat his verbis. Et quidē omnem Transpadanam regionem Thuscorum prolem fuisse, inter omnes auctores conuenit, manentq; vestigia, vrbs Mantua, & reliqua. Cato quoq; ita de hac re scribit, omnia sub Alpibus Transpadana loca prisci conuenæ Thuscis missis colonis tenuere, ab hisq; multa loca nomina retinent, plura deleuerunt Galli, & reliqua. Idem & Liuius, idem & Plinius affirmant. Veronensem autem agrum Thuscorum sedem fuisse, multa præter prædicta monumenta confirmant, nam & Catullus Benacum Lydium vocat, id est, Thuscū, Circa Benacum porro oppida sunt adhuc, quæ nomina Thuscorum seruant, vt Thusculanum, & Vergilius, Oenum filiū Mantos fuisse, & Thusci amnis, id est Benaci, tametsi nonnulli sint, qui de Ayno flumine, id intelligant. sunt & adhuc vina Rhetica, in agro nostro, nomen antie quum seruantia à Rhetis, qui à Gallis pulsi, montana incolere, de quibus ita Iustinus scribit. Thusci quoq; Duce Rheto, amissis auitis sedibus Alpes occupauere. Plinius præterea, de Verona inquit, Rhetorum & Euganeorum Verona. Hæc igitur ita statuenda sunt, quibus, si alterū illud addas, quod Cato dicebat, plura deleuerunt Galli, facile fortasse erit videre, quomodo tam Cato, & Sempronius, quàm Trogus, & Iustinus vera dicant, nihil enim prohibet & Veronam & Brixiam, & Mediolanum, antiquissimas vrbes, à Gallis dirutas fuisse, ijs dico, qui primi Alpes transcendere, mox ab alijs, Duce Breno, easdem instauratas fuisse, quas conditas, Iustinus scribit: More scilicet veterum, qui condendi verbum, pro restaurando, vel augendo, de vrribus vsurparunt. Atq; hæc quidem de Veronensium origine dicta sufficient. Nunc porro interiora vrbs penitus introspeciamus. Vbi inter quam plurima vetustatis indicia, habent etiam curiosi, quod admirentur, cellulas, & habitationes subterraneas frequentes in montibus existere, eum omnino ad modum confectas, vt eo tempore videantur paratæ, quo homines aureo sæculo, in montibus habitantes, casas sibi, & speluncas foderant, quam cōsuetudinem Vitruuius lib. 2. cap. 1. explicat, & Lucretius:

*Sed nemora (inquit) atq; cauos montes, syluasq; colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra.*

Iuuenalis insuper idem confirmans, ait:

*Credo pudicitiam Saturno Rege moratam
In terris, visamq; diu, dum frigida paruas
Præberet spelunca domos, ignemq; laremq;
Et pecus, & dominos communi clauderet vmbra.
Syluestrem montana torum consterneret vxor
Fronibus, &c.*

Quin etiam & illud multo maiorem admirationem præbet, quod in montibus Veronæ Echini marini, cocleæ, & similia in lapides diuturnitate temporis cōcreta, inueniantur. Tum etiam, quonā pacto hæc, si viua quandoque fuere, in hos montes aut delata fuerint, aut enata. Sunt, qui diluuiō adscribant: Verūm alijs, rationibus moti, hanc sententiam improbant, tū,

INDEX.

quod aquæ, quæ exuperarunt montes, non fuerint maria, sed inundationes è cælo, tum quod oporteret videri conchas, & id genus alia, in verticibus montium, aut, si super excreuisset terra, videri saltem certo solum tractu, qua tum vertices montium erant: quod certè nõ liquido constat, quando erutis montibus, in quibus sunt hæc, non vna solum parte apparent, sed etiam in medijs, & in imis, & vbi que. Alia sententia est dicentium, in montibus esse humorem quendam, & alicubi falsum & varium, à quo sæpe vera animalia maritima fiunt, & quodammodo generantur, vt est in Dactylis videre, qui in medijs saxi nascuntur, & inde excuantur. Interdum non vera animalia fieri, sed quæ imitantur vera, nam, quemadmodum & natura imitatur species terrestrium in mari, ita in montibus non veras conchas fieri viuentes, sed consimile quiddam, quod mox lapidescit ob frigiditatem circumambientis loci. Cuius signum affirmant esse, quod conchæ, quantum ad id, quod intra est, non plane animal referunt, sed hanc quoque sententiam alij repudiant, quoniam lapidea hæc, aut vnquam vixere, animantiaque extiterè, aut non: Si quidem olim vixere, non iam iocatur natura & imitatur, sed verum animal facit, quale in mari gignitur. At verò, in montibus inter saxa esse eam vim genitricem, quæ in mari, non satis rationabile videtur, præsertim in grandioribus animalibus, quæ multa poscunt. Cui rei addi & illud potest, quod si olim genita fuissent, oporteret & nunc alicubi gigni, & erui è montibus viuentia hæc animalia, quemadmodum & Dactyli. Si verò nunquam vixere, sed imitationes tantum fuere verorum animantium: hoc certe contra sensum est. Eruuntur enim conchæ non pauca, quorum pars iam in lapidem concreuit, pars nondum mutata est, sed veræ conchæ rationem habet, & teneritatem, & cum reliquis mollitudinem. Quare videre est illas olim veras fuisse conchas, quod si id, quod intra est, in quibusdam nõ plane concham refert, causa est, quod caro, quæ ex se mollis erat, & contrahi nata, multa terra circumtecta, mox in lapidem coiuit. At Hieronymus Fracastorius peritissimus Philosophus & Medicus, hæc olim vera animantia fuisse existimat, iactata illuc à mari, & in mari enata: sed hæc pèdere ex maiori cognitione. Montes enim omnes è mari factos fuisse asseuerabat, primum iactata arena in cumulos, fuisseque olim mare, vbi nunc montes extant, mox eodem recedente, detectos fuisse montes, & insulas, quod & indies videtur fieri, quando & Aegyptus tota mari olim obruta fuit, & in littoribus etiam Italia, vt circa Rauennam apparet, vbi longe abest mare ab eo, quod olim fuerat passuum C.

Iam etiam diu multisque in diuersa, & mutata gubernationis Veronensis commemoratione hæere possemus, sed, quia ea omnia primum Torellus, tum Leander, in Marchia Taruina descriptione persequutus est, idcirco, breuitatis amore, eò Lectorem relegamus. Hoc autem tempore, in Venetorum potestate versatur Verona, qui maximis sane operibus, continuoque studio, vsque ad eam muniunt, vt inter munitissimas totius Europæ referri, hercule queat. Homines etiam claros & illustres, partim, qui doctrinarum studijs, partim qui rerum bellicarum administratione præcelluerunt, tam multos etiam Verona edidit, vt non nisi prolixissima oratione recèseri queant. Eorum autem accuratissima commemoratione, elegantissimi iam dicti auctores, Lectoribus abunde satis facient.

54. Via Appia.

59. VILNA, Lithuania Ducatus Metropolis, vrbs copiosa, ampla, & celeberrimi nominis, ciues habet ignauos & desidiosos, ob natium, agrestem & rusticum credo eius patriæ genium, & incredibilem agri vicini bonitatem: quàm minimo siquidem hinc viuunt. Ager tanto fœnore creditum sibi semetipsum reddit, vt magnam frumenti vim Dantiscum & in Pinteriam, secundo flumine, deferant, quod per totam Ostlandiam, in Belgio, & in ipsis Hispanijs, atque potissimum Olisipong in Lusitania distrahitur. Regio feras & armenta alit plurima, vnde lactis, casei, carnis altilis, atque ferinæ, autem permagna copia. vitæ nõ habet, nec suauioris fructus arborem. Maxima verò mensis in cera, canabe, & melle consistit. Cùm mense Septembri mellitos apium fauos in agris rescindunt, nullum, qualiscumque etiam extraneus fuerit, transire istac permittunt, cui non demessi faui partem communicent, remotissimos etiam ad se inuicant, aut ad eos, cum agresti hoc munere excurrunt, rati, & firma sibi fide per suadentes, ni alijs, de melle sibi diuinitus dato, liberaliter communicent, messem se non tam vberem habituros. Eadem etiam sunt in vrbe liberalitate. Opipidani namque in vniuersum omnes, Magistratu tantum excepto, hospites sunt, cereuisiam, medonem, aut vinum adustum propinantes: & liberum cuique permittunt, ædes suas tuto intrare, sedere ad focum, & vnum, de quocumque liquore velit, haustum gratis bibere, atque deinde exire. Verum vltro si bibat, si prandium aut cœnam cum hospite sumat, tum pretium quoque soluat necesse est, quod tamè perexiguum est, cùm certum sit, robustissimum etiam virum quatuor obulis, tantum sibi panis comparare posse, quantum vno die cõmode ipsi sufficiat.

58. VULCANI FORVM, vide Forum Vulcani.

27. VVALCOVRT.

37. VVARBVRGVM, Vvestphaliæ ad Dimulam flum. opp.


42. VVINMARIA, lautum & peramœnum Turingiæ oppidum, Comitatus quondam titulo celebre. Sed anno partè salutis M. CCC. XLII. ob morosam Comitum Hermannii de Orlamunda, & obstreperam erga Herum suum Fridericum Seuerum Turingiæ Landgrauium, & Misniæ Marckgrauium, inobedientiam, primum iure belli, tum iustis transactionibus Comitatus VVinmariensis, ad Landtgrauiatum Turingiæ peruenit. Et proinde anno salutis M. CCC. LXXVII. Balthasar Turingiæ Landtgrauius, titulum suum, salutatione Comitatus de Orlamunda, adauxit. Dum in istius oppidi descriptione versamur, Doctissimus vir Ioanes Vvolffius, aliam multo luculentiorē, quàm quæ nobis erat, topographicam VVeinmariæ picturam, operi nostro inferendam, cum hac, ad dulcissimæ patriæ suæ ciues parenesi, transmittit.

*Quam nactus patriam, pietate ornare studeto,
Et vita sancta, moribus atque bonis.
His addas artes, vitæ quarum indiget vsus,
Sic ornas Spartam, cuius amice tuam.
Hæc decora exuperant arces, turresque, stupendas,
Hinc florent vrbes, hinc regio ipsa nitet.
Nempe domum dominus debet decorare nitendo,
Nec tantum dominum, quam tenet ipse domus.
Si tamen ambo simul decora hæc iungantur in vno,
Et domus & dominus nomina digna feret.*

ERRATA QVAEDAM SIC RESTITVANTVR.

Pagina 2. linea 5. pro annis, lege, annis. Pag. 3. lin. 13. pro Decia flu. lege, Deua flu. Pag. 6. lin. antepenult. pro inito, lege, irrito. Pag. 9. lin. 35. pro, aut nulla, lege, vt nulla. Pag. 15. lin. 12. pro Tuthemio, lege, Trithemio. Pag. 19. lin. 6. pro, ac, lege, at. Pag. 22. lin. à fine vs. pro induria, lege, industria. Pag. 26. lin. 1. pro angustum, lege, augustum. Pag. 29. lin. 43. leg. M. D. XXXVI. Pag. 30. lin. 1. pro, Et si magna, lege, Et si non magna. Et lin. 21. pro natura, lege, natura. Et circa finem pro Staeloners, Et Stalonerica, lege, Staeloners, Et, Stalonerica. Pag. 31. lin. 12. pro, Et amantiſſimus, lege, Et virtutis amantiſſimus. Pag. 36. lin. 24. pro Antonium, lege, Antonium. Et, lin. penult. pro, progressus, lege, progressi. Pag. 38. paulo vltra medium, pro Hammonis, lege, Hammonis. Pag. 40. lin. penult. pro Steltium, lege, Steelium. Pag. 43. lin. 2. pro, vt eu, lege, vt eum. li. 19. pro sepultura, lege, sepultura. li. 27. pro Wagenschofft, lege, Wagenschofft. Et lin. 40. pro habita, lege, habiti. Pag. 44. lin. 45. pro Stumius, lege, Stumpfius. Pag. 48. lin. 4. pro icuitas, lege, ciuitas. lin. 43. pro aggressi, lege, egressi. Pag. 55. lin. penult. pro vrbs, lege, vrbs. Pag. 59. lin. 35. pro coniu, lege, coniunx. Et lin. 38. pro ciuilitate, lege, ciuilitate. lin. 49. pro capentis, lege, carpentis.

1850





CAJA
C-6